Digitized by Google

8
7-A
28

7
10 I
28

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

27
F
22

8-7-A 28

Digitized by Google

M

Digitized by Google

Bibliothecæ Secret. Coll. Rom. Soc. Iesu.

AVLA SACRA PRINCIPVM BELGII;

SIVE

COMMENTARIVS HISTORICVS de Capellæ Regiæ in Belgio Principijs, Miniſtris, Ritibus atque vniuerſo Apparatu:

Auctore IVLIO CHIFLETIO, Regiæ Catholicæ Maieſtati à Conſilijs, atque inclyti Ordinis Velleris aurei Cancellario.

ACCEDVNT

Pro eâdem Capellâ SACRÆ CONSTITVTIONES, & Diarium Officij Diuini ALBERTO ET ISABELLA Principibus;

Edente IOANNE CHIFLETIO Sacerdote I.V.D. IVLII Fratre, Sereniſſimo Archiduci LEOPOLDO à Sacris Oratorij.



BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

ANTVERPIÆ,
EX OFFICINA PLANTINIANA
BALTHASARIS MORETI.
M. DC. L.

Digitized by Google

Digitized by Google

SERENISSIMO PRINCIPI

LEOPOLDO

GVILIELMO,

AVSTRIÆ ARCHIDVCI,

BELGARVM

Bibl. Secr. Coll. Rom. Soc. Iesu

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ET

BVRGVNDIONVM

PROREGI,

PIO, FELICI, VICTORI,

TRIVMPHATORI,

DOMINO SVO CLEMENTISSIMO.

PALLADIS vtriuſque daturus munera Serenitati Tuæ, pignus præmiſi, cùm illam ad Cameracum hoſtium agmina triumphali veſti-

De Sacris Inſcriptionib. D. Virginis Cameracenſ. occaſione TRIVMPHI LEOPOLDINI.

Digitized by Google

veſtigio ſuperantem vnus omnium voto publicâque acclamatione proſequerer. Liceat modò galeam mitrâ, gladium pedo, ſagum togâ mutare, Bellatori Tullo Numam Sacrificum anteferre, atque in laudibus Tuis Sanctos Palatij Ritus, & priſcis æquanda cæremonijs inſtituta venerari, Ædis Sacræ ſtructuram ob oculos ponere, quam ſalutandi conciliandíque Numinis causâ petis, in quâ tot Principes Auguſtiſsimæ Domus, Deceſſores Tui, ſuarum precum atque orationum habuêre ſtationem; vt quod è Cœlitum duxiſſent contubernio, cumulatâ quadam menſurâ ſpargerent in
ſub-

Digitized by Google

ſubditos, probè conſcij, in primis pendere ſtatum Reipublicæ ab aſſiduâ rerum Diuinarum curatione; neque fruſtrà Cæſarei Iuris elogio Principum Auguſtorum Aulam, SACRVM PALATIVM, DOMVM DIVINAM, ipſos Imperatorum greſſus SACROS nuncupari. Non igitur in præſentiâ referam pro mœnibus vrbium à Te vel captarum vel liberatarum feſtos Nobilium occurſus, non effuſam in publicum turbam; ſed conſpicuum veſte niueâ Palatinum Clerum, præcedentibus longâ ſerie Protocapellanis; quorum complures ad Epiſcopale faſtigium, nonnulli etiam ad Romanam Pur-

Digitized by Google

puram ex hac Palæſtrâ prodierunt. Hos ſequentur Eleëmoſynarij, Cortinæ Præfecti, & quotquot ad clariores titulos accerſiti, virtutis, ſapientiæ ac religionis famâ Scamnum Capellanorum illuſtrarunt. Neque indicti expertéſque laudis mittentur viri magni, quibus Principes conſcientiæ ſuæ arcana comperta voluerunt. Verbo dicam: Aula Bruxellenſis, quà Sacris inſiſtit, & maximè Tua eſt, PIISSIME PRINCEPS, hac Hiſtoriâ & hiſce Fraternis Commentarijs Serenitati Tuæ venerabunda ſeſe repræſentabit. Quibus, vt maiori abſolutione opus aſſurgeret, adieci ex codicibus manu exa-

ratis

Digitized by Google

ratis Conſtitutiones & Officij Diuini Diaria, quæ Palatini Cleri alumnis præſcripta voluêre Sereniſſimi Belgij & Burgundiæ noſtræ Principes ALBERTVS & ISABELLA, Par illud incomparabile; de cuius ſingulari in Religionem ſtudio nulla vmquam ætas, nulla poſteritas conticeſcet. Nec verò fortaſſe parum intererit ad vſum Palatinæ gubernationis, non dicam noſſe quid Maiores Tui hoc in genere ante Te geſſerint, ſed eorum dumtaxat ſubinde veſtigia relegere, quorum omnium virtutes in Te vnum ſunt collatæ. Quòd ſi Vitellio Imperatori Tacitus lib. 2. Hiſtor. Pontificatum Maximum adepto illud

lud Imperij labentis omen Populi Romani interpretatione adſcriptum fuit, quòd de Cæremonijs edixiſſet xv. Kalend. Auguſti, antiquitus infauſto die Cremerenſi Alienſíque cladibus; nos certè vice conuersâ de Rebus hiſce Sacris, Deíque exteriore Cultu ſub Tuæ gubernationis auſpicijs omnia fauſta ac felicia augurabimur; cùm eâ tempeſtate, iiſque diebus Tuo iuſſu prodierint in lucem, quibus acciſi hoſtium fines, æquatum ſolo Hirſonium, Caſteletum obſeſſum & ad deditionem compulſum eſt; ſupplices Tibi facti noui etiam in Franciâ Capellani, quorum fortiſſimum propugnaculum

lum (Capellam vocant) non tam belli quàm nominis & religionis causâ cepiſſe videaris, nec Martium ardorem Ioue pluuio, ſed pietatis affectu temperaſſe. CAPELLÆ iſti ex hoſtico partæ, CAPELLAM hanc ex auito acceptam, benè ominato optatiſſimæ Pacis fœdere iugalem habe; quæ tum maximè ſudauit ſub prælo, cùm altera premeretur quammaximè arietum Tuorum prælio; cùm ederent fortiſſimi milites tenerrimæ neceſſitudinis ac fidiſſimæ amicitiæ mira exempla, iiſque longè ſuperiora de quibus in Pilade & Oreſte, Damone & Pithiâ, Niſo & Euryalo veteres ſunt gloriati. Vin-

culum enim mutuæ fidei, quo nullum in terris arctius inueniri poteſt, tum inexplicabili nodo connectitur, cùm illud non ambitio, non cupiditas, non quæſtus, ſed concors animorum deuincit æqualitas, & bellicæ virtutis amor adſtringit. Hæc autem cùm in Ioanne Laurentio, gregario milite cohortis Arbaeræ Centurionis, non mediocris exiſteret, ita Franciſci Rici de Solis, Vexilliferi eius Commilitonis animum ad ſe rapuerat, vt eo amicitiæ nexu ſe illi implicaret, quem ne mors quidem diſſociare potuerit. Hiſpani erant ex eâ Legione, quæ Ferdinandum de Solis Tribunum ſequebatur. Et

IV. Non.

iv. Non. Auguſti, eorum amicitiæ incomparabili fatali die, Ioannes in obſeſſæ Capellæ foſſam deſiliens, in eius medio, plumbeo globo percuſſus, illicò inter aquas vitam effudit hoſtium iaculationibus infeſtas. Non ſuſtinuit caſum amiciſſimi capitis Franciſcus Ricus, ſed cadenti opem laturus, aggere vallóque ſeſe ſubducere tentat, nullum diſcrimen reformidans: verùm ab Legionis Accenſo Maiore prohibetur, donec vtrimque factâ armorum inhibitione ad commilitonem aduolat, extrahit extinctum, ad ripam in humeros ſublatum defert, ac rigentes artus ſtringens amplexibus, cùm ne

vocem quidem laxaret dolor, nullo alio quàm honeſtiſſimi amoris vulnere ſaucius, illi pro voto immoritur, quem flagrantiſſimè diligebat. Iſtud nimirum affectu delinquere eſt; ſed per quem qui peccat, & laudem meretur & gratiam. Vnde vtriuſque funus curare dignatus es, ambos eodem tumulo in Æde Aueſnenſi claudi voluiſti, eodem Epitaphio poſteris commendari, pietate Tuâ æternùm victuros. Ita charitas mutua, ita congruens vitæ ac mortis tenor, ita vna eadémque propoſiti ratio poſtulabat. Quocircà elati ſolemni pompâ, & vniuerſo exercitu acclamante Sereni-

tati

tati Tuæ: *De noſtris annis Tibi Iuppiter augeat annos*. Sic viue, ſic vince, PRINCIPVM OPTIME, Belli Fulmen, Pacis delicium; dúmque apertis vndique ſanis ac delubris, pro ſalute itus ac reditus Tui, pro Ducibus, populo & exercitu Tibi à Regum Maximo commiſſis, domeſtici Sacerdotes Tui quotidie ad Altare vota ſuſcipimus, vnum Iani Templum, tot iam luſtris reſeratum, Europæ Bellatrici claude. Vltimus hic Tibi, CÆSAREE LEOPOLDE, Heroicus labor, quem Roma in Auguſto tantoperè ſuſpexit, vt nimirum Triumphali Pace terrâ marique partâ, & Republicâ

optimis legibus ac ſanctiſſimis inſtitutis reformatâ, claudantur Belli Portæ: quod vouet

SERENITATI TVÆ

Bruxellæ Prid. Non. Auguſti M. DC. L.

æterno cultu deuotiſſimus Capellanus

Joannes Chifletius.

Digitized by Google

AD PERILLVSTREM AC REVER^MVM DOMINVM D. FRANC. VILLANI DE GANDAVO, EX COMITIBVS ISEGVEMIIS, EPISC. TORNACENSEM, BARONEM DE RASSENGVIEM, ETC.

IOANNIS CHIFLETII PRÆFATIO.

ANNO ſuperiore accinctus Hiſpanico itineri Iulius Frater, ac mari tranſmiſſo Mantuam Carpetanorum petiturus, vnum mihi abſentiæ ſuæ ſolatium reliquit ſchedas nonnullas, & hunc Commentarium iam affectum; quem vt multiplici argumento Tuum, ſub Tui quoque nominis dignatione lucis vſuram auſpicari par fuit. Præterquam quòd chariſſimus Frater, ſubmiſſis ex Hiſpaniâ ſubinde nouis luminibus documentiſque, ſignificationem hanc

hanc mihi erga Te obſeruantiæ ſuæ miniſteriumque mandauit, voluitque eâ quâ ſemper in me fuit beneuolentiâ, vt in ipſius operibus prælo mandandis opellæ meæ qualiſcumque pars deinceps aliqua poneretur.

Pareo itaque lubens, Illuſt^me^ Præſul; & à ſinu tuo CAPELLAM REGIAM in manus litteratorum prodire gaudeo, vel ad Imperij Orientalis ipſiuſque Aulæ Conſtantinopolitanæ inuidiam; in quâ pleraque apud Codinum Curopalatam non tam officiorum indigitamenta, quàm inanium titulorum crepitacula, cùm ſint hodie omnium mortalium longè miſerrimi, propter immane iugum Turcicæ Dominationis. At Principes noſtri vti ortu ac regimine, ita modeſtiâ & pietate cæteris præſtant; ſicque illorum vita cenſura eſt, eaque perpetua, ad quam diriguntur Officiorum adminiſtri, ad quam conuertuntur; nec tam imperio illis opus eſt quàm exemplo, quo blandiſſimè iubetur. Memorabile eſt ac facetum, quod aliquando per occaſionem accidit ſub ALBERTO PIO, quo tempore Capellani Maioris dignitatem obtinebat Petrus Toletanus. Is edixerat Capellano hebdomadario, ne ſe abſente coram Archiduce Sacris operaretur: fortè autem euênit, vt intempeſtiuiùs abeſſet, dum interim

terim Princeps depoſceret Sacrum, idque imperaretur Hebdomadario. At is reuerens mandati defugit obire miniſterium; atque etiam interpellatus, ſe porrò facturum pernegat, niſi præſente illo qui id cauerat. Princeps non peruicaciam, ſed æmulationem officij interpretatus bonam, mandat perquiri Toletanum; qui vix tandem atque ægrè inuentus, dum ſe ſiſtit obtutui Principis, poſciturque moræ cauſam, eam regerit in horologium ſuum, cuius vitio falſus fuerit. At tu, inquit Princeps, ne poſthac iterùm fallaris, hoc iſtud meum à me tibi habe nuſquam vmquam fallax; & cum dicto de loculis educit pretioſiſſimi operis horologium, eoque hominis ſeu culpam ſeu errorem vlciſcitur. Ea ſemper laudatiſſima fuit animi quies maieſtati coniuncta Sereniſſimorum Auſtriæ Archiducum, Belgij Burgundiæque aut Principum, aut Præfectorum; quorum Tu in obſequio plurium annorum fide ſummâ atque integritate verſatus, moribus etiam pridem aſſueuiſti. Neque vmquam omninò tua virtus tam illuſtri loco poſita latere potuit, cùm in Aulâ Bruxellenſi, aſſiduis laboribus, nunc Cortinæ Præfectum, nunc Protocapellanum agens, magnam Tibi laudem & gloriam peperiſti, à Maioribus tuis longo ſtemmate in Te abun-

dè iam anteà propagatam, vti pronum eſſet vel ſolâ recitatione conſequi, ſi hæc ſtyli epiſtolaris anguſtia pateretur res ab illis geſtas ſingulatim percenſeri, quibus magno volumine deſcribendis Andreæ Cheſnæi viri ſummi deſudauit induſtria.

Illud enim palàm eſt, Tibi cognomines, Teque adeò, Illuſt^me Præſul, ſatum eſſe Heroibus ac magnis Prouinciarum Rectoribus, quos conſtat magnitudine animi, pietate fideque in Deum, Religionem ac Regem ſemper excelluiſſe: quin etiam ſæculis ſuperioribus luculentas poſſeſſiones Clero Religioſiſque domibus quotannis repræſentandas collocaſſe; neque de nihilo in ſymbolis Gentilitijs vſurpaſſe litteras numerales XIIII. XIIII. quarum origo, illuſtri antiquitatis monumento, hactenus magis inueſtigari potuit, quàm ſciri.

Patrui tui ac digniſſimi Deceſſoris merita, Orbi nota, laude non indigent, ætati ſiquidem ſuæ & annis conſequentibus plus ſatis affulsêre: neque is vllâ commendatione creſcet, aut decreſcet ſilentio, quem ipſa poſteritas humano quolibet elogio ſublimiorem prædicabit.

Id vnum præterire religio ſit, tum verò illum clariſſimè oſtendiſſe lumen animi ſui ingenijque

prouidi

prouidi futurorum, cùm Tibi, adhuc ſuperſtes, mente præſagâ ſacrum iſtud faſtigium Diuinæ poteſtatis aſtrueret, Teque ſibi Succeſſorem ſponte deligeret; in eo felix, quòd virtutum ſuarum heredem non alibi maiorem quàm intra domum ſuam inueniret. Itaque rerum geſtarum gloria & obitorum cum laude munerum magnitudo Te ad honoris culmen pridem Tibi debitum euexêre. Quid multa? deſignante PHILIPPO IV. Regum maximo, confirmante Sanctiſſimo Chriſti Vicario INNOCENTIO X. approbante Sereniſſimo Archiduce LEOPOLDO, Perilluſtris atque antiquiſſimæ Tornacenſis Eccleſiæ LXXXIV. Epiſcopus inauguratus es: & inauguratus tanto bonorum applauſu tantâque lætitiâ, quantam in animis hominum rectè ſentientium ſumma gratia virtuti tributa potuit excitare. Neque quidquam in Te mutauit tantæ dignitatis amplitudo, niſi vt prodeſſe quamplurimis tantundem poſſes ac velles.

Non igitur ingratum Tibi fore ſpero quod non vno nomine tuum eſt: immò ſubinde repetes deſcriptionem loci, cui annis compluribus ſingulari cum laude prudentiæ, iuſtitiæ, modeſtiæ & pietatis præfuiſti; cuius iura, prærogatiuas atque immunitates ſtrenuè vindicaſti, aſſe-

rüiſti; in quo denique, plaudente Aulâ vniuerſâ, ſacri cum Eccleſiâ tuâ connubij feſta celebraſti. Et quamuis in eius fronte expreſſas laudes tuas obliquis oculis intuebere, causâ tamen propiùs exploratâ, cùm ea nullâ adulationis labe aſperſa ſit, nec ad aurium gratiam, ſed germanæ veritatis argumentum compoſita, haud contemnes vota offerentis, qui Tibi, magne Præſul, Tuiſque æterno obſequio pridem deuinctum ſe eſſe ſibi gratulatur & gaudet. Bruxellæ Kalendis Martijs anni M. DC. L.

Digitized by Google

AD LECTOREM AVCTORIS PRÆFATIO.

De ratione ac modo ſcriptionis.

PRIVSQVAM *ordiar, quem animo pridem concepi de* CAPELLÆ REGIÆ *in hoc Belgio Principijs, Miniſtris, Ritibus & vniuerſo Apparatu Commentarium, nonnulla præmittere conſilium eſt: non quidem de inſtituto à me ſcriptionis ordine, qui è ſupremis ſingularum tractationum Capitibus ſeſe legentibus aperiet; verùm vt exponam clam me non eſſe, Vincentium Turturetum, Nobilem Siculum, &* PHILIPPO IV. *Regi maximo in Hiſpaniâ à Sacris Oratorij, librum ſingularem de Capellis & Capellanis Regum, cum Perpetuis notis pro Capellâ Aulæ Hiſpanæ, doctum pariter & elegantem ſcripſiſſe: non item ignorare me, Sebaſtianum Roliardum Melodunenſem de ſummi apud Francos Eleëmoſynarij munere Tractatum multâ vtique eruditione refertum edidiſſe: ac poſtremò, Gulielmum Peyratium in Hiſtoriâ Eccleſiaſticâ Aulæ Regum Francorum, ſiue Sacris diſquiſitionibus Capellæ & Oratorij Francorum Regis à Clodouei primi temporibus, docta (ita me Muſæ ament) & elegantiſſima protuliſſe. Qui quidem omnes ob congeſta multa lucis attulerunt nonnihil; in pleriſque tamen defuerunt mihi; quoniam quæ de ſingulari ac priuatâ Principum noſtrorum Capellâ ſcribenti ſubſidio adfuêre, iiſdem ſuffragari vix poterant; vtpote, quæ non tam è vulgatis pridem libris & luci datis Auctoribus excuſſi, quàm è con-*

BIBLIOTECA NAZ. ... VITT. EM. ...
Digitized by Google

quiſitis accuratè codicibus manu exaratis, ſiue Conſtitutionum Aulicarum, quæ multæ variæque hiſce de rebus fuere; ſiue Rationum Palatinarum, in quibus expreſſus Familiæ Aulicæ numerus; ſiue denique è pluribus rerum, quæ ad Ritus reuocari poſſunt, ſub Principibus noſtris geſtarum Hiſtoricis deſcriptionibus. Quæ quidem omnia ſingularem tractationem non mihi modò, ſed alijs quoque, atque adeò ipſi Decano Antuerpienſi Miræo, viro ſcriptis clariſſimo, mereri viſa. At ſingulorum, qui ſingulas ferè olim Prouincias in hoc Belgio obtinuére, Principum Capellas illuſtrare haudquaquam mihi eſt animus; cùm infiniti propemodum laboris eſſet; neque tanta earum maieſtas fuerit, quanta à Philippi Boni Belgarum & Burgundionum Principis temporibus, qui & Imperij Belgici conditor dicitur, & quem haud temerè ſacræ magnificentiæ ſi non Inſtitutorem certè Reſtauratorem agnoſco & prædico ſubinde: nec fruſtrà, ſi Fecialem, cui Flandriæ agnomen, audire lubet in eâ, quam ſcriptam reliquit, Nuptiarum eiuſdem Philippi cum Iſabellâ Luſitanicâ Brugis anno M. CCCC. XXIX. *initarum Narratione*: Tandem, *inquit*, venit & dictus Dominus meus, comitantibus Epiſcopo Leodienſi, Domino de Beaureuoir, alijſque multis Proceribus, Equitibus & Scutiferis. Cùm autem in ædes ſuas exſcendit, & Equeſtrem veſtem depoſuit, pretiosâ alterâ auro contextâ aſſumptâ, in Capellam ſuam ingreſſus eſt, ſubijtque Oratorium ſuum: quò pariter venêre Domina mea eius vxor, ac Domina Bethfortia, vt Officio intereſſent. Capella autem periſtromatibus ornata, ac imaginibus aureis & argenteis, iocalibuſque Capellæ aptis, tantis tantæque æſtimationis locuples, vt omnibus eſſet admirationi. *Et mox*: Dominus Epiſcopus Tornacenſis Diuinum Officium in Pontificalibus celebrauit: Miſſa-

In Bibliothecâ Eccleſiaſticâ Parte 2. vbi de Vincentio Turtureto.

que voce altâ & ſolemni ritu cantata à Miniſtris Capellæ dicti Domini mei fuit: qui & magno numero erant, & in arte muſicâ excellentiſſimi, qui vbique gentium eligi aut reperiri poſſent.

Id pariter & maximè obſeruandum, mixtos tandem paulatim Sacros fuiſſe Ritus, & partim ex Aulâ Francicâ primùm, partim ex Hiſpanicâ poſtmodum petitos, obſeruari & mixtim cœpiſſe. Si quidem Burgundionibus rerum potientibus, & priuſquam corona Hiſpanica ad Sereniſſimos Principes Auſtriacos perueniret, Capella Belgico-Burgundica correctioni Capitulari (cogebatur enim ſingulis hebdomadibus) & Horis Canonicis omnibus canendis obnoxia, Francicæ in multis æmula erat; & in choro à Protocapellano ad pulpitum ſedente, ſi verò is muneri ſuo per negligentiam deeſſet, ab eo ſupremâ cum auctoritate regebatur qui Principi erat à Confeſſionibus. Ad hæc, plerumque Domeſtici ſemeſtre tantùm quotannis in Aulâ miniſtrare & adeſſe tenebantur: vnde plurium, qui ſimul idem munus gerebant, nomina occurrunt, vt qui ſub Philippo duo Protocapellani, partito inter ſe anno, quilibet ſenos menſes miniſtrabant. Inſuper & hoc inde petitum, vt cùm ſub Auſtriacis Archicapellani eſſe cœperunt, ſimul & Protocapellani eſſent ijs inferiores more Francico; apud quos, præter ſummum Eleëmoſynarium, eſt & alter Primus ab Eleëmoſynis, quem nos Alterum ſiue Secundum Eleëmoſynarium appellamus. Hinc etiam vocabula & nomina primariorum Aulæ munerum; vt Cambellani, vt Corporis Sommelerij; quibus hodieque fungitur Excellentiſſimus Schvvartzembergicus, ſacri lateris fidiſſimus Comes, & Cuſtos Auguſti Corporis Verùm hæc, quæ ad Aulæ Regum Francorum imitationem à me referuntur, haud ita intelligi velim, perinde quaſi in Aulam Principum noſtrorum quidpiam iuris fuerit. Nec enim ignoro datum

Palatinæ Cõſt Caroli anno M. CCCC. LXVIII. & Philippi I anno M. CCCC. XCV. & M. D. V.

tum

tum ab eodem Philippo Bono reſponſum Legatis Ludouici Francorum Regis XI. Oliuarium Marcanum ad pœnam poſcentibus; nempe, eumdem Oliuarium Burgundionem eſſe, & Aulæ ſuæ Præfectum, neque vllo pacto Coronæ Franciçæ obnoxium.

Philippus Comminæus in Comment. lib. 1. c. 1.

Iſtis itaque veluti in tranſitu memoratis addo, deinde ex Hiſpanicâ Aulâ id obſeruatum, vt Oratorij ſeu Cortinæ Præfecti magno in honore eſſent; vel ob eam dumtaxat rationem, quòd Principi in Capellâ intra Oratorium ſeu Cortinam flectenti ſedentíve viciniores adſtarent: cui tanta exteriùs apud Francos haud eſt maieſtas.

Vide infrà Cap. VIII. n. 4.

Tribuendus pariter eidem origini Magnatum, Legatorum, aliorumque, quibus ius ſedendi competit, concinnus ordo, ab eâdem dubio procul Aulâ Hiſpanicâ deriuatus.

Infrà Cap. XI. n. 1.

Hæc igitur ante omnia ſcire Lectorem meum volui. Cæterùm ſi interdum horridula ſeſe & incompta deinceps offerunt verba, eumdem rogatum velim meminiſſe verborum Eminentiſſimi Cardinalis Baronij, qui nouas voces, quantumlibet elegantiores, eſſe vitandas, nec ad locutionem Sacrarum rerum facilè admittendas eſſe *tradit; ſuamque veterum auctoritate ſententiam fulcit.*

Ad annum LVII. n. 173.

Nihil igitur mirum erit, ſi Capellam *pro* Sacello, Sommelerium *pro* Præfecto, Cortinam *pro* Conopeo, Tribunam *pro* Cubiculo quod Capellæ adhæret, *& alia eiuſmodi ſuo loco vſurpauerimus. Præterquam enim quòd ab antiquo iam ſuam ſibi auctoritatem vindicarunt, hoc habent inſuper, quòd alicubi tradit Caſſiodorus, dum ait:* Grata ſunt nomina quæ deſignant protinus actiones, quando tota ambiguitas audienti tollitur, vbi in vocabulo concluditur quod geratur.

Digitized by Google

IVDICIVM

ILLVST^MI AC REV^MI

FRANCISCI VILLANI DE GANDAVO,

EPISCOPI TORNACENSIS.

NOS Franciſcus Villani de Gandauo, ex Comitibus Iſeghemijs, Baro de Raſſenghiem, Dei & Apoſtolicæ Sedis gratiâ Epiſcopus Tornacenſis, PHILIPPI IV. Regis Catholici, necnon Sereniſſimi Hiſpaniarum Infantis FERDINANDI, atque etiam Sereniſſimi Auſtriæ Archiducis LEOPOLDI GVILIELMI in Aulâ Bruxellenſi Archicapellanus, vniuerſis & ſingulis has præſentes litteras noſtras inſpecturis, viſuris, lecturis, pariterque audituris Salutem in Domino.

Circa Eccleſiarum ſtatus conſeruandos, & vſurpatos ab antiquo Ritus ſalubriter dirigendos, iuxta Paſtoralis officij noſtri debitum ijs libenter inuigilamus, per quæ nouitatum occurritur periculis, & Diuini cultus ſplendori ac maieſtati prouidetur: vnde, cùm ex commiſſione præfati Sereniſſimi Archiducis legerimus, ac feriò examinauerimus Librum cui titulus eſt, *Aula Sacra Principum Belgij, ſiue de Capellæ Regiæ in Belgio Principijs,*

Digitized by Google

Miniſtris, Ritibus, atque vniuerſo Apparatu Commentarius: Notum facimus, & atteſtamur, in eiuſmodi opere, quæ ætati noſtræ ſuperiora ſunt, ſingulari ſtudio ac fide ex Conſtitutionibus Aulicis eſſe deſumpta, nec minore diligentiâ relatos Palatij Ritus, adductas in Capellâ Miniſtrantium præeminentias ac prærogatiuas, ac demum deſcripta ſingulorum officia, quæ toto triginta annorum ſpatio pro munere noſtro aſſerüimus, reximus, atque oculis vſurpauimus. Quare dignum iudicamus hunc Commentarium, qui publicam lucem videat, ex maiore Dei & pijſſimorum noſtrorum Principum gloriâ, & ſummo Palatinæ Gubernationis bono quà ſacris inſiſtit: in quorum fidem præſentes manu noſtrâ ſignatas, & per infraſcriptum Cameræ noſtræ Epiſcopalis Secretarium ſubſcriptas, ſigilliq́ue noſtri appoſitione munitas, fieri iuſſimus. Datum Bruxellæ octauâ Martij M. DC. L.

Signatum, *Franciſcus Epiſcopus Tornacenſis.*
XIIII. XIIII.

Loco ✠ ſigilli.

Et infrà: *De mandato Illuſtmi ac Reumi Domini mei præfati.*

Gregorius de Cokie loco Secretarij abſentis.

Digitized by Google

APPROBATIO CENSORIS.

Qvæ de Capellæ Regiæ in Belgio Principijs, Miniſtris, Ritibus & vniuerſo Apparatu eleganti atque erudito calamo conſcripſit Nobiliſſimus Dominus Ivlivs Chifletivs, Regiæ Catholicæ Maieſtati à Conſilijs, atque inclyti Ordinis Velleris aurei Cancellarius, auctore ſuo digniſſima ſunt, ac publicam lucem merentur; vti omnia quæ à Chifletiorum manu & calamo hactenus prodierunt: quorum me vadem lubens ſiſto, atque ita cenſeo Bruxellæ Prid. Non. Februarij M. DC. XLIX.

Antonius Sanderus Presb. S. Th. Licentiatus, Canon. & Scholaſt. Iprenſis, lib. Cenſor.

SVMMA PRIVILEGII.

Philippvs IV. *Hiſpaniarum & Indiarum Rex Catholicus, & Potentiſſimus Belgarum Princeps, Diplomate ſuo ſanxit, nequis Librum, cui titulus,* Aula Sacra Principum Belgij, ſiue Commentarius Hiſtoricus de Capellæ Regiæ in Belgio Principijs, Miniſtris, Ritibus atque vniuerſo Apparatu, Auctore Iulio Chifletio, Regiæ Catholicæ Maieſtati à Conſilijs, atque inclyti Ordinis Velleris aurei Cancellario, *præter Balthaſaris Moreti voluntatem vllo modo intra nouennium imprimat, aut alibi terrarum impreſſum, in Germaniæ Inferioris ditiones importet, venalémve habeat. Qui ſecùs faxit, confiſcatione librorum & aliâ graui pœnâ mulctabitur; vti latiùs patet in litteris datis Bruxellæ* X. *Maij* M. DC. L.

Signat.

A. Happart.

INDEX CAPITVM:

AVLÆ SACRÆ PRINCIPVM BELGII.

CAP. I. VOCIS CAPELLÆ *Etymon, & eiuſdem varia ſignificatio.* Pag. 3.

CAP. II. *Capellæ Maioris, vti nunc eſt, Conſtructio, Dedicatio, Ornatus. Cur & vnde Capella Burgundica appellata.* 6.

CAP. III. *Capella altera Maior, altera Minor: hac Oratorij nomine ſubinde appellata: vtriuſque differentia.* 13.

CAP. IV. *Oratorij ſignificatio altera, pro Conopeo ſeu Cortinâ Principis; de quâ deinceps.* 21.

CAP. V. *De varijs Principum in Belgio & Burgundiâ Capellanis & Archicapellanis, qui Nati appellantur.* 24.

CAP. VI. *De Protocapellanis & Archicapellanis Aſſumtis Regum ac Principum in hoc Belgio, eorumque ſeries.* 32.

CAP. VII. *De Eleëmoſynarijs, eorumque munere atque attributis.* 43.

CAP. VIII. *De Sommelerijs ſeu Præfectis Oratorij, qui demum Sommelerij Cortinæ dicti.* 63.

CAP. IX. *De Confeſſarijs Principum, quorum olim haud exigua in Capellam auctoritas.* 69.

CAP. X. *De Capellanis, quorum alij Honoris ſiue Oratorij, alij Altaris appellantur; & de illorum dignitate.* 77.

CAP. XI. *Capellæ totius, quoties Diuinis intereſt Princeps, ſacra & verenda maieſtas.* 85.

CAP. XII. *Capellanorum Regiorum libertas & venia aſſiduitatis.* 98.

CAP. XIII. *Ritus Capellæ Regiæ, tum ordinarij tum extraordinarij, compendio expreſſi.* 110.

SACRARVM CONSTITVTIONVM PRO CAPELLA REGIA.

CAPVT I. De Capellano Maiori. *Pag.* 123.

CAP. II. De Sumelerio Cortinæ. 125.

CAP. III. De Cæremoniarum Præfecto. *ibid.*

CAP. IV. De Capellanis Oratorij. 126.

CAP. V. De Famulis Oratorij. 127.

CAP. VI. De Sacriſtanis. 128.

CAP. VII. De Magiſtro Cantus. 132.

CAP. VIII. De Locum-tenente Chori. 134.

CAP. IX. De Capellanis Altaris. 135.

CAP. X. De Organiſtis. 136.

CAP. XI. De Muſicis & Cantoribus. 137.

CAP. XII. De eo qui habet curam inſtrumentorum. *ibid.*

CAP. XIII. De Deſignatore hoſpitiorum. 138.

CAP. XIV. De Ludi-Magiſtro. 139.

CAP. XV. De Sufflatore organorum, & eo qui tenetur ſcribere notas muſicales. 140.

CAP. XVI. Varia ad Ordinem Officij Diuini eiuſque miniſtros ſpectantia. *ibid.*

Diarium Officij Diuini quod in Sacello SS. CC. per totum annum celebratur. 146.

AVLA

Digitized by Google

AVLA SACRA
PRINCIPVM BELGII;
SIVE
COMMENTARIVS
HISTORICVS
DE
CAPELLÆ REGIÆ
IN BELGIO
PRINCIPIIS, MINISTRIS, RITIBVS,

ATQVE VNIVERSO APPARATV.

Digitized by Google

Digitized by Google

CAPVT I.

Vocis CAPELLÆ Etymon, & eiuſdem varia ſignificatio.

I. CAPELLÆ *vox, ſecundùm Strabum, à Capâ Sancti Martini deriuata.*
II. *Eiuſmodi coniectura à Spelmanno reiecta.*
III. *Peyratius, à Capſis Sanctorum ortam aſſerit.*
IV. *Putatur à veſtibus priſcis Sacerdotum deducta.*
V. *Triplex eiuſdem ſignificatio.*

MERITÒ præſentis Commentarij limen occupat inſtituta nuper à Scriptoribus de originatione vocis CAPELLÆ controuerſia; quæ tametſi magni haudquaquam compendij ſuſcepto à me argumento futura videatur, cùm de Capellis tractationem generalem minimè inſtituerim; nonnihil tamen habebit amœnitatis.

Prima ſententia eſt α Walafridi Strabi, quam β Anonymus, Sancti Galli apud Heluetios Monachus, Honoriuſque neſcio quis Martini Panegyriſtes ſequuntur. Strabus autem : *Dicti ſunt*, inquit, *primitus Capellani à Capâ Sancti Martini, quam Reges Francorum ob adiutorium Victoriæ in prælijs ſolebant ſecum habere : quam ferentes & cuſtodientes cum cæteris Sanctorum Reliquijs, Capellani cœperunt vocari.* I.

α In Opere de Exord. & increm. rer. Eccleſ. cap. vlt.
β Caniſianar. Lect. Tom. 1.

Verùm Henricus Spelmannus, Eques Anglo-Britannus, in eruditiſſimo Gloſſario ſuo Latino-barbaro eam Strabi ſententiam reijcit; additque, poſt incredibilem II.

 Auctorum

Auctorum lectionem, ſe vocem *Capellæ*, ſeu *Capellani*, æuo B. Martini, qui circiter annum CCCC. migrauit è vitâ, nuſquam deprehendiſſe, neque ſæculo ſubſequenti.

III. Altera Guilielmi Peyratij ſententia eſt à priſco ritu circumferendarum paſſim Lipſano-thecarum, quæ *Capſæ* appellantur; & baiulos Sacerdotes inde vocatos aſſerit *Capellanos*, quaſi *Capſellanos*; ſcribitque apud Walafridum latere mendum in voce *Cappa*, & *Capſa* legendum eſſe. Cæterà ritum memoratum probat egregiè, vt quiuis eum germanam originem ſubodoratum fuiſſe exiſtimet.

IV. Apud alios deinceps tam longè repetitur ac deriuatur origo huius vocis, vt ingeniorum & Grammaticorum torcular fuiſſe videatur. Ego verò, cùm ſingulorum opiniones damnare nolim, ita nec ſymbolam meam conferre auſim huc loci: neſcio tamen, cùm extra Gallias circumlata Martini oſſa haud videantur, neque Sacerdotes omnes Reliquiarum ſeu Capſarum baiuli fuerint, vtrùm à veſtibus, ad Officia diuina diu noctuque peragenda vſurpatis, potiùs repetenda ſit. Inſtitutâ quippe ſingulis diebus Horarum, quas Canonicas appellamus, in templis lectione (quod ad Gelaſij & Gregorij, Primorum nominis Pontificum Romanorum, ætatem referunt) conſultum fuit Clero in Diuinis occupato, ſingulari genere veſtis vti (quæ *Capa* ſeu *Capella* dicta eſt, quemadmodum à *Caſâ Caſulæ* vox deriuata) præſertim frigori arcendo ac tegendo capiti, humeriſque, à *Capris*, ſeu *Capellis*; quarum vſu gloriari cœpit incurioſus atque humilis Clerus, vellere Pontici muris aut alijs pretioſioribus nondum vulgatis. Et firmandæ coniecturæ robur addit perantiqua in Hiſpaniâ propè vniuersâ nominis *Capellæ*

Pius Papa V. in Bullâ Breuiario Romano præfixâ.

Capellæ vſurpatio; quâ tum viri Religioſi, vitam monaſticam ſectantes, & cucullatis capitum inuolucris vtentes, hæc ipſa tegmina *Capillas* vocant: vti & ipſa ruſtica gens tum Guipuzcoanæ regionis, tum Caſtellæ veteris, eiuſmodi capitis operimenta, quibus vtuntur frequentiſſimè, eodem planè modo vocitant: vnde cùm viris diuino obſequio mancipatis commune fuerit olim hoc ipſum veſtis Eccleſiaſticæ genus (quâ de re dubitari apud eruditos non exiſtimem; poteſt enim tum è tumulis, tum è ſigillis vetus hæc forma veſtis probari, hodieque etiam in ipſis & Cardinalium, & Epiſcoporum, & inferioris ordinis Clericorum & Sacerdotum indumentis veſtigium ſupereſt) mirum fortaſſe non fuerit *Capellanos* inde vocatos, quemadmodum & hodie plures à veſtibus Religioſorum familias ſumpſiſſe ſuum nomen videre licet.

V. Triplex etiam huius ipſius vocis & quidem frequentiſſimus vſus inualuit; primò enim locum peragendis Sacris deſtinatum ſignificat; deinde ad ipſam ſupellectilem, ſeu veſtibus ſeu iocalibus conſtet, extenditur; ac demum ipſam Clericorum, qui in Sacello vel parent vel imperant, familiam complectitur: quæ ſignificationes quia pridem & copioſè ab alijs de hoc argumento ſcribentibus illuſtratæ ſunt, ijſdem auctoritatibus veterum recentiorúmve firmandis diutiùs haud inhæreo.

Turturet. cap. 1. Peyrat. lib. 1. c. 11.

CAPVT II.

Capellæ Maioris, vti nunc eſt, Conſtructio, Dedicatio, Ornatus. Cur & vnde Capella Burgundica appellata.

I. *Ante Philippi I. Regis ætatem Capella Regia iam fuit.*
II. *Philippi I. eam vti nunc eſt ædificaturi conſilium à nonnullis improbatur.*
III. *Carolus V. Imperator eamdem perficit.*
IV. *Dedicatur à Cardinale Imolenſi, tunc à latere Legato.*
V. *Aræ tabella, Joannis Malbodij opus.*
VI. *Capella Burgundica haud iniuriâ vocatur.*
VII. *Indulgentijs plenarijs à Pontifice exornatur.*

I. IAM ante Philippi Primi Catholici Regis (quem hodiernæ Capellæ conſtructorem celebramus) ætatem, locum peragendis ritu ſolemni Sacris deſtinatum in Aulâ ſuâ Burgundiæ Brabantiæque Duces habuêre; ſed quâ ædium parte, non ſatis conſtat. Verùm pro comperto habetur, qualecumque tandem illud ipſum ædificium fuerit, haudquaquam ad noui huius maieſtatem acceſſiſſe; cuius cauſam & occaſionem Hiſtoriolæ, quam mox narraturus ſum, Aulici antiquiores adſcribunt.

II. Fuit è Proceribus quidam ſub eiuſdem Philippi I. tempus, qui eius conſilium haud obſcurè improbaret, ob Ædem Sacram in eâ Palatij parte collocari cœptam, è quâ amœniſſimus in ſuburbanum agrum verſus Flandriam aſpectus pateret: Bruxella quippe in loco molli-

ter

ter accliui poſita vaſtas proſpicientibus planicies aperit, villis, riuis ſiluiſque diſtinctas, & maiori anni parte ſuauiſſimè luxuriantes. Philippus tamen vultu in ſeueritatem compoſito querenti reſpondiſſe fertur, quando id ſemel maturè deliberatum eſſet, cur ipſe obſtaret votis? neque ipſum, neque alium quemquam cœpto iam operi moram allaturum; quin daturum ſe operam vt tantâ cum elegantiâ ſacrum ædificium aſſurgeret, vt ruinam eius poſterorum nemo vmquam eſſet moliturus. Cauſam tam pertinacis in viro Principe conſilij audiui aliquando ab eximio eius in Antonium Lalanum, primum poſteà Hochſtrati Comitem, ſtudio ortum habuiſſe, qui pro eâ quâ penes Philippum gratiâ pollebat, haud ægrè ab eodem impetrauit, alterius commodi ſpecie, vt eâ parte aſpectus Palatij in ſubiectam Bruxellæ planiciem excelſo ædificio cohiberetur, ne in proprias Lalanorum ædes, etiamnum Aulæ Principis vicinas, inquilinis Palatinis proſpectus vltra liber eſſet.

Vt vt ſit, Philippi decreto fuit locus, & poſt inchoatum opus, morâ licet admodum diuturnâ ab eius morte interueniente, tandem tamen Sacra in eo peragi cœperunt anno M. D. L I I I. Hieronymo Dandyno S. R. E. Cardinale, Imolenſi vulgò nuncupato, locum ritè conſecrante, vt poſteà traditurus ſum.

Planè cur tamdiu poſt cœptum tam elegans ædificium dilata illius perfecta conſtructio fuerit, exponit Imperator Carolus V. in vltimo ſuæ voluntatis elogio, quod apud Sandouallium Vitæ illius ſcriptorem habetur; vbi hiſce de rebus in hunc modum: *Item quia poſteaquam inaugurati in Regem & Dominum Coronæ Caſtellæ & Aragoniæ fuimus, ſine vllâ, vt nobis videtur, culpâ noſtrâ,* III.

magna

CAPVT II.

Capellæ Maioris, vti nunc eſt, Conſtructio, Dedicatio, Ornatus. Cur & vnde Capella Burgundica appellata.

I. *Ante Philippi I. Regis ætatem Capella Regia iam fuit.*
II. *Philippi I. eam vti nunc eſt ædificaturi conſilium à nonnullis improbatur.*
III. *Carolus V. Imperator eamdem perficit.*
IV. *Dedicatur à Cardinale Imolenſi, tunc à latere Legato.*
V. *Aræ tabella, Ioannis Malbodij opus.*
VI. *Capella Burgundica haud iniuriâ vocatur.*
VII. *Indulgentijs plenarijs à Pontifice exornatur.*

I. IAM ante Philippi Primi Catholici Regis (quem hodiernæ Capellæ conſtructorem celebramus) ætatem, locum peragendis ritu ſolemni Sacris deſtinatum in Aulâ ſuâ Burgundiæ Brabantiæque Duces habuêre; ſed quâ ædium parte, non ſatis conſtat. Verùm pro comperto habetur, qualecumque tandem illud ipſum ædificium fuerit, haudquaquam ad noui huius maieſtatem acceſſiſſe; cuius cauſam & occaſionem Hiſtoriolæ, quam mox narraturus ſum, Aulici antiquiores adſcribunt.

II. Fuit è Proceribus quidam ſub eiuſdem Philippi I. tempus, qui eius conſilium haud obſcurè improbaret, ob Ædem Sacram in eâ Palatij parte collocari cœptam, è quâ amœniſſimus in ſuburbanum agrum verſus Flandriam aſpectus pateret: Bruxella quippe in loco molli-

ter

Digitized by Google

ter accliui poſita vaſtas proſpicientibus planicies aperit, villis, riuis ſiluiſque diſtinctas, & maiori anni parte ſuauiſſimè luxuriantes. Philippus tamen vultu in ſeueritatem compoſito querenti reſpondiſſe fertur, quando id ſemel maturè deliberatum eſſet, cur ipſe obſtaret votis? neque ipſum, neque alium quemquam cœpto iam operi moram allaturum; quin daturum ſe operam vt tantâ cum elegantiâ ſacrum ædificium aſſurgeret, vt ruinam eius poſterorum nemo vmquam eſſet moliturus. Cauſam tam pertinacis in viro Principe conſilij audiui aliquando ab eximio eius in Antonium Lalanum, primum poſteà Hochſtrati Comitem, ſtudio ortum habuiſſe, qui pro eâ quâ penes Philippum gratiâ pollebat, haud ægrè ab eodem impetrauit, alterius commodi ſpecie, vt eâ parte aſpectus Palatij in ſubiectam Bruxellæ planiciem excelſo ædificio cohiberetur, ne in proprias Lalanorum ædes, etiamnum Aulæ Principis vicinas, inquilinis Palatinis proſpectus vltra liber eſſet.

Vt vt ſit, Philippi decreto fuit locus, & poſt inchoatum opus, morâ licet admodum diuturnâ ab eius morte interueniente, tandem tamen Sacra in eo peragi cœperunt anno M. D. LIII. Hieronymo Dandyno S. R. E. Cardinale, Imolenſi vulgò nuncupato, locum ritè conſecrante, vt poſteà traditurus ſum.

Planè cur tamdiu poſt cœptum tam elegans ædificium dilata illius perfecta conſtructio fuerit, exponit Imperator Carolus V. in vltimo ſuæ voluntatis elogio, quod apud Sandouallium Vitæ illius ſcriptorem habetur; vbi hiſce de rebus in hunc modum: *Item quia poſteaquam inaugurati in Regem & Dominum Coronæ Caſtellæ & Aragoniæ fuimus, ſine vllâ, vt nobis videtur, culpâ noſtrâ,* III.

magna

magna ſeſe obtulerunt, tum aduerſus Turcam Chriſtianæ Reip. hoſtem, tum in alios Principes & Poteſtates gerenda bella, propter magnos & ineuitabiles ſumptus magnam penuriam ſuſtinere nobis opus fuit; vnde efficere, quæ cupiebamus, haud licuit, nempe exequi teſtamenta D. Philippi Regis Patris ac Domini noſtri; Regum item Catholicorum, vti & Maximiliani, & Dominæ Mariæ, auorum meorum (quibus beatam gloriam exopto) pro eâ quâ erga eos tenebar obligatione. Iubemus idcircò, vt quàm citiſſimè fieri poterit, obſeruentur, perficiantur, & executioni mandentur, quantum ad omnia quæ ex eis exequenda ſuperſunt: & ſingillatim id quod ad conſtructionem Capellæ dicti Regis Domini Philippi, Domini ac Parentis noſtri, quam in ædibus noſtris Bruxellenſibus ædificari iuſſit, in eâque ſingulis diebus in perpetuum Miſſa vna cantetur.

Abſolutum igitur opus eâ felicitate, vt Mantuæ Carpetanorum (Madritum vocant) cùm in eam vrbem ex Valle-oleti Aulam ſuam tranſtulit Philippus II. Capellam in eâ ædificarit; *ex parte*, inquit Turturetus, *ex Sacello Bruxellenſi delineatam*, ſine ambitu nempe; qualem tamen Bruxellenſis Capella habet; cæterâ naui & periſtylio eiuſdem perſimilem.

In Notis ad cap. 4. in principio.

Columnæ in eâ ſunt in vniuerſum octodecim Gothici operis, &, quod mireris, earum aliquæ in longum perforatæ caminorum in modum, ita vt concameratis ſubiectiſque Capellæ locis haud alia fumi ſpiracula ſuppetant. Patentes hinc inde numeroſæ, & concinno magnoque ordine diſpoſitæ feneſtræ tantum lucis ſacro huic loco conciliant, vt quoties benignioribus Solis radijs afficitur, nihil vſpiam elegantius aut amœnius videri poſſit.

In

In memoriam autem Philippi I. Regis, qui fundamenta poſuerat, & Ioannæ eius coniugis, Diuis Philippo Apoſtolo & Ioanni Baptiſtæ ritè à Cardinale Imolenſi dedicata eſt, Carolo V. Imp. Eleonorâ Franciæ & Mariâ Hungariæ Reginis adnitentibus, vti apposita ſub odei parietem lamina edocet. IV.

Anno Domini M. D. LIII. *ſexto Nonas Iulias, Hieronymus Dandinus Ceſenas, tit. S. Mathei, S. R. E. Preſb. Cardinalis, cognomento Imolenſis, Iulij III. Pontif. Max. & Sanctæ Apoſtolicæ Sedis ad Glorioſiſſ. & Inuictiſſ. Principem Carolum Imp. Romanorum ſemper Auguſtum, vniuerſamque Germaniam, Superiorem & Inferiorem, reliquasque illius ditiones Legatus à latere; piiſſimis votis, deſiderioque ipſius Caroli, & vtriuſque eius ſororis, Heleonoræ Galliarum & Mariæ Hungariæ Reginarum inducti, hoc Sacellum, & ſummam in eo aram D. Philippo Apoſtolo & D. Ioanni Baptiſtæ conſecrauimus, ac omnibus Chriſti Fidelibus, qui hodie, eodémve per ſingulos annos die Sacellum hoc religionis adorationisque cauſâ adierint, veniæ abſolutionisque ann.* VII. *in morem Eccleſiæ ſolitum condonauimus.*

Aræ tabella peruetus, Epiphania eſt, Ioannis Malbodij, pictorum æui ſui principis, penicillo expreſſa, quam ab Hieronymo Monçæo, Gerardi-montis in Flandriâ Cœnobiarchâ, impetrarunt Sereniſſimi Albertus & Iſabella, cùm fortè per Monaſterium eius iter haberent circa annum M. DC. oblatis pretij loco duobus florenorum millibus. Limbus haud alius quàm è ligno deaurato, & ſupra appoſitè hæc Iuuenci ſacri Poëtæ verba: V.

Aurum, Thus, Myrrham, Regique, Hominique, Deoque
Dona ferunt. ———.

At verò per totum Dominici Aduentus & verni Ie-

iunij curſum altera ei tabella Chriſti crucifixi ſufficitur, quæ ſubnigris coloribus deſtinato ab Eccleſiâ lacrymis & pœnitentiæ tempori mirè conuenit.

VI. Cæterùm hæc ipſa *Capella* eſt, quæ *Burgundica* ſortita eſt nomen; reclamante licet viro alioqui docto, deque iure ſacro & litteris benè admodum merito, qui eamdem *hoc nomine indigetari numquam audiuiſſe ſe* ſcribit: perinde quaſi locum ac Principem minimè id ferre exiſtimet, idque cum aduerſâ Caroli Audacis fortunâ cecidiſſe.

Francisco Zypæo in Analyticâ Enarratione Iuris Pontif. de Clericis non reſidentib. n. 21.

Quocircà nihil cunctatus aſſero ego, iure nomen *Burgundicæ*, vti Aulici omnes norunt, *Capellæ* huic relictum; aioque Sereniſſimæ Burgundionum Domus decora quatuor ad Belgas migraſſe.

Primum eſt, vexillum militare, decuſſata ſeu Burgundica Crux rubri coloris; cuius vnius hodieque in hoc Belgio inter Auſtriacos Principes gentemque Belgicam eſt vſus.

Alterum eſt, faſcia militaris coccinea Burgundionum propria, quam Regij milites à dextrâ ſcapulâ in ſiniſtrum latus geſtare ſolent.

Ordo inſuper Velleris aurei à Maximiliano Caroli Ducis genero aſſumptus, indeque ad poſteros Reges & Auguſtos tranſmiſſus.

Quartum denique, Aulæ ipſius regimen & Palatina Gubernatio.

Poſtremum hoc, quod præſentis argumenti eſt, Carolus V. & Philippus II. prædicauerunt, obſeruaruntque: & ſi quæ poſteà fortaſſe in Hiſpaniâ mutatio interuenit, haud vſque adeò magni momenti fuit; quin pleraque Miniſtrorum Familiæ Principum Burgundionum vocabula & nomina ſuperfuerint; vnde etiam in Capellâ

Capellâ Burgundicæ adminiſtrationis aperta veſtigia remanſerunt: dilatâ enim ſpe Ducatus Burgundiæ recuperandi, & ſic Diuione potiundi (vbi Capella Ducum ab antiquo priuilegijs inclyta, & ab ipſo Philippo Bono Burgundiæ Duce Ordini Velleris aurei deſtinata erat) curam hanc rerum ſacrarum placuit aliò conuertere, & vnà cum Aulæ ipſius ſtylo rerum in Capellâ gerendarum modum ac rationem, adhibitis Hiſpaniæ ritibus, ſeruare.

Ab illo igitur tempore in eâdem Capellâ Regiâ Bruxellenſi vſu ipſo, quidquid à Ducibus Burgundiæ mutuari potuêre Principes noſtri, mutuati ſunt.

Hîc ſi fortè quid magnifici aut luculenti gerendum ſeſe offerret, peregêre: hîc paces cum hoſtibus initas firmare; hîc Velleris aurei, ſecundùm anni decurſum, Feſtos dies celebrare cœperunt: néve hanc Burgundicæ cognomine condecorare quis cunctaretur, cruces Andreanas ſeu Burgundicas ad ipſam odei frontem apponi idem Philippus II. iuſſit; Periſtromata auro argentoque contexta ſacræ Gedeonis hiſtoriæ, procurante Guilielmo Filatrio, Ordinis Velleris aurei Cancellario, & Tornacenſi Epiſcopo, eidem deſtinauit. Ac poſtremùm, ipſo B. Andreæ Apoſtoli Burgundionum Præſidis Feſto Plenariam noxarum condonationem & perpetuam Indulgentiam à Paulo Papâ V. impetrarunt feliciſſimi Principes Albertus & Iſabella, Capellam hanc hoc ipſo die viſentibus, ſequenti formâ:

Paulus Papa V. ad perpetuam rei memoriam. Ad augendam Fidelium religionem, & animarum ſalutem, cæleſtibus Eccleſiæ theſauris piâ charitate intenti, ac de Omnipotentis Dei miſericordiâ, & BB. Petri & Pauli Apoſtolorum eius VII.

 aucto-

auctoritate confiſi, ſupplicationibus quoque dilecti Filij Nobilis viri Alberti Archiducis, & dilectæ in Chriſto Filiæ Iſabellæ Archiduciſſæ Auſtriæ, Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, Omnibus vtriuſque ſexus Chriſti Fidelibus verè pœnitentibus & confeſſis, ac ſacrâ Communione refectis, qui Capellam Palatij ipſorum Alberti Archiducis & Iſabellæ Archiduciſſæ Auſtriæ in S. Andreæ & Conſecrationis eiuſdem Capellæ Feſtis diebus à primis Veſperis vſque ad occaſum Solis dierum huiuſmodi ſingulis annis deuotè viſitauerint, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordiâ, hæreſum extirpatione, ac S. Matris Eccleſiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus. Volumus autem, vt ſi aliàs Chriſti Fidelibus dictam Capellam viſitantibus aliquam aliam Indulgentiam perpetuò vel ad tempus nondum elapſum duraturam conceſſerimus, illa nulla ſit. Datum Romæ apud S. Marcum ſub annulo Piſcatoris die XVI. *Septembris* M. DC. XI. *Pontificatus noſtri anno* VII. & infrà ſubſcriptum: *S. Cobellutius.*

CAPVT III.

Capella altera Maior, altera Minor: hæc Oratorij nomine ſubinde appellata: vtriuſque differentia.

I. *Nicolai Mamerani diſtinctio vtriuſque Capellæ.*
II. *Minoris, ſeu Oratorij, mentio ſub Philippo Bono.*
III. *Eiuſdem Philippi in audiendâ Miſſâ conſuetudo.*
IV. *Oratorium Alberti atque Iſabellæ.*
V. *Capellæ Maioris Reliquiæ.*
VI. *In Minori aptior orationi & meditationi locus.*

CAPELLAS habuiſſe binas Principes noſtros, Palatinarum rationum Codices docent; alteram Maiorem, pompæ ſacræ, muſicis modulationibus Officijſque Diuinis peragendis deſtinatam; Minorem alteram, pauciori Miniſtrorum numero compoſitam, qui Rei Diuinæ intra Aulæ ipſius penetralia dare operam ſolent. Iuuat Mamerani hac de re verba in Catalogo Familiæ Aulæ Cæſareæ Caroli V. qui more Burgundico domeſticam familiam inſtituerat, annectere: *Sacellum,* inquit, *duplex eſt, Maius nimirum ac Minus: Maius vocant, in quo ſolemnis & ſumma, quam vocant, Miſſa per cantores cantu ac modulatu figuratiuo decanitur; Minus, in quo inferioris Miſſæ ſacrificium legendo tantùm peragitur.* I.

Duplicem Capellam hanc Philippo Bono rerum potiente intra Ducales ædes fuiſſe conſtat: Maiorem quidem, ex his quæ in anteloquio dixi; Minorem verò in II.

Digitized by Google

ipſius Aulæ receſſu atque intimis Palatij contignationibus habuiſſe, tradit Oliuerius Marcanus; vbi primæ, quæ hunc ipſum Principem & Carolum Audacem eius filium interceſſit, rixæ cauſam memorat.

III. Locus is remotior, vbi & magnâ animi quiete orare quis poſſet, atque inſolitis horis, etiam pomeridianis, citra populi ſcandalum Rei Diuinæ intereſſe, ſi per occupationes non antè licuiſſet. Philippus enim Bonus, de quo nunc ſermo, Georgio Caſtellano in Epitome Vitæ illius manu exaratâ referente, tardè ad Miſſam procedebat, quæ interdum fiebat horâ ſecundâ pomeridianâ, & ſæpiſſimè tertiâ; vtique de Summi Pontificis veniâ, quemadmodum idem Auctor ſubijcit.

IV. Oratorium ab Archiduce Alberto atque Iſabellâ Hiſpaniarum Infante extructum in ipſo Palatinæ habitationis vmbilico, quà verſus aream ſpectat, ædificio ſtructurâ ſpectabili prominente; vti hodieque indicio eſt Crux deaurata & ſacri loci faſtigio impoſita. Verùm & aliud Iſabella extrui iuſſit in inferiori contignatione, quà in hortos Palatij proſpectus eſt; & aliquantùm dilato aduentu Ferdinandi Hiſpaniarum Infantis (cui deſtinatum erat) Margareta Lotharingica, Ducis Aurelianenſis vxor, eo primùm vſa eſt. Loco tam commodo, vt non tantùm Principis cubiculo pateat, ſed vicinis etiam tribus; atque adeò hodieque Sereniſſimi Archiducis Leopoldi optatiſſimâ præſentiâ, & pijs in Deum orationibus conſecretur.

V. In Capellâ Maiori nonnullæ ſunt Cælitum Reliquiæ; atque in primis pars inſignis Andreanæ Crucis, Philippo Bono à Renato Rege Siciliæ Andegauenſi, & Comite Prouinciæ (vbi Maſſiliæ apud S. Victorem Crux aſſeruatur)

aſſeruatur) olim donata, & poſteà Bruxellas tranſlata. Eſt autem hæc elegantiori ac turrito tabernaculo decorata, populo quotannis ad Sacellum Regium Beati Andreæ Feſto die concurrenti ad venerationem exhiberi ſolita: cuius Ædiculæ, Philippo I. regnante, inſtauratæ in aurificis Regij rationibus mentio fit his verbis, quæ è Gallico in hunc modum expreſſi: *Pro refectione Tabernaculi Sancti Andreæ beſſes argentarij octo; dinumerando in ſingulos beſſes libras nummarias vndecim, & duodenos aſſes. Pro operæ autem atque auraturæ pretio, libras* C. XXXVIII. *Totius ſumma eſt, libræ* CC. XXXV. *cum ſolidis ſexdecim.*

Vide infrà Diarium Officij Diuini menſe Nouemb. in fine.

Cæterùm, inualeſcente apud Belgas tumultu, lignum magni Apoſtoli cruciatibus illuſtre, ſacrilegâ manu ſubreptum, in Angliam delatum eſt; ac primùm ab Eliſabethâ, deinde à Iacobo Rege cimelij loco habitum & ſeruatum. Quod vbi reſciuit felicis memoriæ Albertus Pius, nullâ morâ interpoſitâ, Legato ſuo Ferdinando Boiſcotio mandauit, vti curaret ſacrum pignus reſtitui à Rege; qui libens volenſque æquiſſimæ Principis petitioni morem geſſit; atque exinde quotannis Apoſtoli Feſto die, more Maiorum, rituque ſolemni, vt anteà, denuò exponi ſolitum. Quâ in re & illud notatu dignum non importunè addidero, ſacram quidem ſupellectilem Ordinis Velleris aurei & altaris, eiuſque Miniſtrorum veſtes auro margaritiſque diſtinctas, & conuentibus Ordinis generalibus deſtinatas, ab eius Theſaurario ſeruari; non tamen hanc Lipſanothecam, cuius cura à Belgij Principibus vel Præfectis domeſtico cimeliorum cuſtodi ſemper demandata eſt. Vnde, tametſi inter priuatas Oratorij Reliquias, quas fidei commiſſas eiuſdem cuſtodis Ædi D. Gudilæ teſtamento legauit Sereniſſima Iſabella,

Digitized by Google

Iſabella, Crucis etiam Andreanæ turrita Theca inueniatur, ijs tamen accenſeri non poſſe, neque legato comprehendi certum eſt: quandoquidem ad Regem pertineat, vti Ordinis Velleris aurei ſupremum Caput; in quem iure hereditario peruenit iam inde à temporibus Philippi Boni, eiuſdem Ordinis Fundatoris, vt antè docuimus.

Præter hanc partem Andreanæ Crucis ad Sacellum Regium etiam aliæ Reliquiæ haud vulgares ſpectant: Crux nempe ex tribus Dominicæ particulis in auro compoſita, quæ Harlemio tranſlata, ab hæreticorum in res ſacras ſæuientium furore ſeruata eſt anno M. D. LXXIX.

Eſt & altera Dominicæ Crucis pars grandior, atriolo deaurato incluſa, & cryſtallo munita, quæ Middelburgenſis Eccleſiæ olim fuit, ac nouatorum inſaniæ ſimiliter ſubducta, in Sacello Bruxellenſi III. Maij, Crucis Inuentæ Feſto die, exponi ſolet, vti infrà expreſsè notatum in Diario Archiducum.

Prætereà, ex fundatione Sereniſſimorum Archiducum Alberti & Iſabellæ, Feriâ tertiâ cuiuſlibet hebdomadæ Sacrum contagio auertendo fieri conſueuit ſolemni cantu de Sancto Sebaſtiano, & in eius Feſto cereus prægrandis offerri atque accendi, collocatâ in altari eiuſdem Sancti Lipſanothecâ, quâ manus illius continetur.

Neque id omittendum, Pacem, quæ ad oſculum inter Miſſarum ſolemnia Philippo Audaci Burgundiæ Duci, & Margaretæ Flandriæ illius coniugi præbebatur, ſeruari hodieque inter Coronæ Hiſpanicæ cimelia in Regio Madritenſi Gazophylacio. Forma lilium refert: altitudo

tudo palmaris eſt, fulcro exiguo retrorſum ſubnixa: arma gentilitijs Philippi, necnon recentioris & priſcæ Burgundiæ ſymbolis in quadrum ſectis impreſſa: folium altius, idemque maius imagine Crucifixi, ſæculum quantum ad formam redolente, condecoratum: in dextro B. Virgo, in ſiniſtro B. Ioannes repræſentantur: ad imos pedes coëuntium foliorum B. Dionyſius, præciſum caput manibus præferens, in medio Sanctorum Ioannis Baptiſtæ & Antonij Abbatis Ægyptij cernitur. Præter arma, propriam fuiſſe prædictorum Principum etiam indicant litteræ binæ Gothicæ, quæ folia lateris vtriuſque maiori medio iungunt, nempe à dextris P, quæ PHILIPPVM; à ſiniſtris M, quæ MARGARETAM ſignificant.

Lilij alterius Burgundici, ſed longè pretioſioris, quodque Capellæ Bruxellenſis etiam olim fuit, magno ſerio meminit Philippus III. Rex Catholicus, dum in vltimi ſui elogij tabulis, anno M. DC. XXI. menſe Martio conditis, articulo XLI. in hunc modum cauet: *Quoniam inter alia Gazophylacij mei cimelia* LILIVM *eſt* AVREVM *compluribus Reliquijs inſtructum, quod Imperatoris Domini mei atque Aui fuit, Maiorumque retrò meorum Burgundiæ Ducum; volo, iubeoque, ne vllam ob cauſam vendi poſſit aut alienari, ſed vt perpetuâ ſucceſſione tranſeat indiuulſum cum ipſo Regno ad meos heredes; in tantum, vt nulli vnquam meorum Succeſſorum liceat aut alienare, aut donare, aut pignori opponere.* Ex auro ſolidum eſt, altum ſpithamas quatuor, folijs tribus diſtinctum, per oras totas prægrandibus pyropis, ſmaragdis atque vnionibus collucens; de quibus ſolus carbunculus inferior centum millibus drachmarum aurearum æſtimatur; crediturque

C nullas

nullas ſupereſſe eiuſmodi ſmaragdorum fodinas. Quatuor ſuperiores margaritæ magnitudinis ſunt haud vulgaris, & perfectæ rotunditatis, in quadrum poſitæ. Reliquiæ Sacræ in eminentiore folio reconduntur; atque in eius ſummo Crucicula eſt lignea de ipsâ Chriſti Cruce, manu, quantum creditur, ipſius Diui Hieronymi elaborata: in medio pars inſignis de cyclade Virginis Matris, coloris cærulei dilutioris: in imo clauus Chriſti, nonnihil intortus; in cuius acumine hodieque apparent guttæ aliquot ſanguineæ: infra clauum eſt prægrandis ille iam memoratus carbunculus: reliqua duo lilij folia ſacris item Lipſanis nobilitantur, alterum Spinâ Dominicâ, alterum Cruce, quam S. Cypriani fuiſſe ferunt: inferiùs ſculpta ſunt ignitabula cum ſilicibus, circumque circa baculis nodoſis. Tam pretioſum cimelium Maximilianus Imperator anno M. D. VIII. Henrico VII. Anglorum Regi oppignorauit in quinquaginta millia aureorum coronatorum; idemque poſtmodum pacto Cameracenſi reſtitutum; qui fuit effectus articuli tertij.

VI. De Reliquijs porrò, quæ in Minoribus Capellis, ſiue Oratorijs multorum è Principibus noſtris velut in Gazophylacio incredibilis pretij ſunt aſſeruatæ, vberius multò eſſet argumentum: etiamſi vel vnius Sereniſſimæ Iſabellæ Claræ Eugeniæ, Hiſpaniarum Infantis, Lipſanothecam deſcribere in animum inducerem. Neque id mirum, cùm eò ſecedere, Reip. laboranti auxilium implorare, æterna meditari, & in cælum anhelare ſoleant; vnde iuuat exemplis è re natis, ijſque argumento aptiſſimis, fidem dictis conciliare.

Vti frequens eſt ad ea quæ parentum noſtrorum aliquando fuerunt ſtudium, ferebatur in primis Iſabella

memo-

memorata erga ſigillum cereum infantis nudi, coloribus natiuis & carneis depicti, qui aræ ipſius Oratorij ferè impoſitus cernebatur iacentis & dormientis in modum, altero brachiorum cranio ſubiecto ad inſtar puluinaris incumbente. Erat ſigillum hocce Philippi II. regiâ manu confictum; vnde illud Iſabella Fratris nomine & appellatione dignari ſolita erat. Baſi ſuppoſitæ, quæ vti ſigillum ipſum pedem vnum ac dimidium longa erat, verſiculi duo Hiſpanici ſequentes inſcripti erant:

No ay coſa que mas deſpierte,
Que dormir ſobre la muerte.

Quos piorum ſolatio Latinè verſos hîc reddimus:

Nil tam languentem, quàm mors meditata, ſoporem
Excitat, & memores nos iubet eſſe ſui.

Et Gallicè, niſi diſplicet, in hunc modum:

Rien ne peut eſueiller ſi fort,
Que de dormir deſſus la mort.

Hactenus Iſabellæ Claræ Eugeniæ, ſæculi pertæſæ & æterna meditantis, imaginem hîc expreſſi; at lubet Mariæ quoque Hungariæ Reginæ, eiuſdem amitæ magnæ, ſuauem orationis modum, & breuiſſimum quidem adijcere. Non illi de morte, verùm de eâ quæ eam ſequitur felicitate ſermo erat, cùm in cælum animum ſuauiter anhelantem intuentium oculis expoſuit. Exigua admodum tabella eſt, ſed eruditæ manus eximiæque artis nobile ſpecimen, geminâ facie, vt claudi poſſet: in alterâ infans IESVLVS, ore peramœno ac ſubridenti vnum hoc verbum effundebat, *Veni:* exhibebat verò altera eiuſdem tabellæ facies Mariæ Reginæ effigiem, cultu permodeſto, & qualem Auguſtæ viduæ damnatâ

nuptiarum ſpe præferre ſolent, oculis verſus IESVLVM piè intentis, binis hiſce vocabulis ex ore illius erumpentibus: *Quando placet.*

Flori-múdus de Raymond Tractatu de Ortu hæreſωr lib. 5. cap. 5.

Carolus quoque Imperator, Mariæ Reginæ frater, Oratorium ſuum crebrò ingrediebatur vt ſibi vni vacaret; vnde impatientes moræ maximi quique Proceres, Dominum ſuum ſæpiùs Deo quàm hominibus loqui querebantur. Et accidit aliquando, vt Illuſtris Cubicularius, vrgentibus Francorum Regis Legatis, inſtaret vt citò ijs præberet aures, quoniam de ſummi momenti rebus ex vſu Domini ſui facturi ad illum verba eſſent. Porrò nimis importuno ſubieciſſe Imperator fertur: *Et ego ex vſu quoque Domini mei de quibus agam habeo:* nimirum dum flagris ſæuiret in ſe, depoſito tantiſper aſperrimo cilicio. Quæ raræ ſanctitatis inſtrumenta moriens deinde Philippo Filio legauit; dignum poſteà Regum Catholicorum morientium in ſuperſtites Filios fideicommiſſum.

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT IV.

Oratorij ſignificatio altera, pro Conopeo ſeu Cortinâ Principis; de quâ deinceps.

I. *Oratorium pro Cortinâ, tempore Caroli IV. Imp.*
II. *Etiam in Belgio, tempore Philippi I. Regis.*
III. *Sub Carolo V. ſimiliter.*
IV. *Etiam ſuum Oratorium ſeu Cortinam habuit Alexander Farneſius.*
V. *Philippi Boni ætate lignea erant eiuſmodi Oratoria, neque loco mouebantur.*

ORATORIVM pro Minori Capellâ ſumi, I.
iam ſuprà expoſuimus: ſed & eo nomine cenſebatur Conopeum, cortinis vndique ſeu phrygij operis ſeu holoſerici ſeptum, ſub quo Princeps Sacris intereſſe intra ipſius Capellæ ambitum ſolitus erat.

Et quidem apud Francorum Reges idem Conopeum hoc ipſo nomine appellatum, teſtatur Anonymus, qui congreſſum Pariſienſem Caroli IV. Imperatoris & Caroli V. Francorum Regis ſub annum M.CCC.LXXVIII. deſcripſit: ſic enim loquitur, cùm Lipſanothecæ ſanctæ Capellæ Pariſienſis inſtitutam ab ijs luſtrationem narrat: *Ubi verò Imperator exſcendit, Oratorium, quod ipſi Rex apparari iuſſerat, ingredi noluit; ſed ſedile, in quo ſedere dictæ Capellæ Theſaurarius ſolet, elegit; vt inde meliùs diutiusque dictas ſanctas Reliquias videre ipſi liceret, & ſic commodiùs ex aduerſâ Lipſanothecæ fronte conſiſteret. Ibi itaque ſedile ipſi opere phrygio perhonorificè adornatum fuit.*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

Digitized by Google

Rex verò Oratorium ſuum, quod prope oſtium Reueſtiarij erat, ingreſſus eſt: ſed quia Imperatori nullæ erant cortinæ, deprimi ſuas iuſſit. Hîc igitur & *Oratorij* & *Cortinæ* ſimul occurrit mentio ad deſignandum Principis Conopeum.

II. Planè vſum vocis eiuſdem apud Burgundiones inualuiſſe, fidem faciunt varij cæremoniarum olim in hoc Belgio peractarum Scriptores. Sic Remigius de Puteo, Auſtriacæ Familiæ Indiciarius, in Exequijs Philippi I. Caſtellæ Regis, Mechliniæ in Æde Beati Rumoldi die XVIII. & ſequenti Iulij anno M. D. VII. præſente Margaretâ Auſtriacâ, Germanâ Philippi ſorore, curatis, ſic ait: *Et infra dictos limbos ligneos dicta Ædes, tam in naui quàm in Choro, adeòque in cruciatâ* (la croiſée) *panno nigro duarum latitudinum erat cooperta; & in ſupremâ parte, holoſerico nigro; è regione autem Oratorij* (in quo flectebat ſcilicet Carolus Princeps) *hinc inde pannus erat quatuor latitudinum; & ex holoſerico pendebant pedum trium interuallo maiores Gentilitiæ defuncti Regis Teſſeræ.*

III. Alius item, ſed Anonymus, in funere Iſabellæ Portugallicæ, Caroli V. Imperatoris Coniugis, Toleti anno M. D. XXXIX. in Æde S. Ioannis, quam Regum appellant, celebrato, de Cæſare, qui tertio Sacrificio ab Epiſcopo Pacenſi facto intererat, loquitur in hunc modum: *Cùm Offertorium inſtaret, à Sommelerijs Oratorij ſtratus humi fuit pannus niger à prædicto Oratorio vſque ad gradus Altaris, vbi dictus Dominus Epiſcopus Principem expectauit extra ſuppedaneum Aræ maiori antepoſitum, & ſuper excelſiorem viciniorem que gradum.* Deinde in deſcriptione Exequiarum Annæ, Ferdinandi I. Romanorum Regis vxoris, quæ anno M. D. XLVI. à Mariâ Hungariæ Reginâ Valencenis in Aulâ Comitis celebra-

tæ

tæ ſunt: *Dominus Robertus de Croy, Epiſcopus Cameracenſis, in Pontificalibus Vigiliarum Officium peregit: die ſequenti ſimiliter poſtremum Sacrificium obtulit: dictis autem Vigilijs præſentes aderant Domina Gubernatrix ſuprà nominata, quæ intra ſuum Oratorium erat, &c.* Clariùs adhuc in funere Ioannæ Caſtellæ Reginæ, Bruxellæ in templo B. Gudulæ anno M. D. LV. menſe Septembri curato: *Ad dextrum latus capellæ* (pyram intelligit) *erectum atque adornatum fuit Oratorium pro Maieſtate Philippi Angliæ Regis, defunctæ nepotis, & Caroli V. Imp. filij. Graduum duorum altitudine ſurſum erigebatur; interiùs verò cathedra erat, & ante eam ſcabellum eleuatum vnà cum puluinaribus ad genuum flexionem.*

Demum perſpicuè atque optimè in iuſtis Annæ Auſtriacæ, Philippi Catholici Regis vxoris, Montibus Hannoniæ die XXIX. & XXX. Ianuarij anno M. D. LXXXI. perſolutis à Farneſio Parmenſi Duce, qui tum ibi aderat, & à Guilielmo Rughero Hannoniæ Feciali deſcriptis: *Vbi*, inquit, *ſicut Vigiliarum die, ad Chorum peruenerunt, Excellentia ſua iterùm in Conopeum ſuum* (Pauillon) *à Feciali Hannoniæ deducta eſt: quod ipſum Oratorium ſedilibus nigro colore conſtratis inſtructum erat ad genu flectendum, & ſedendum in cortinis.* IV.

Amoueri autem Oratoria eiuſmodi nunc etiam ſolent, nec niſi quoties Sacris intereſt Princeps eadem exponi aut attolli mos eſt: quamquam olim, Philippi Boni ætate, lignea eſſent; neque inde remouerentur vbi ſemel fuiſſent erecta; qualia Diuione apud Carthuſienſes in ſacellis Choro adhærentibus viſuntur etiamnum; & è quibus Auguſto Sacrificio intereſſe Ducum vxores ſolebant. Vidi tum illic, tum alibi laqueata vbique, atque interdum V.

interdum Symbolis ipſis Principum, vnà cum eorumdem nominibus, tum viri tum vxoris, monogrammaticè expreſſis, quemadmodum & ſigillis ſuis priuatis minimiſque ea exhibere conſueuerunt. Ac viri quidem nomen ſuo præponere vxori mos erat, viro autem vxoris anteferre: quod etiam Alberto Pio atque Iſabellâ Clarâ Eugeniâ regentibus obſeruare licuit: viuebant enim & hi, ſicut de ſocero ſuo & Coniuge Domitiâ Decidianâ Tacitus loquitur, *Mirâ concordiâ per mutuam charitatem, & inuicem ſe anteponendo.*

V.C. Oliuarius Vredius in Sigillis Comitum Flandriæ ſub Philippo Bono.

In Vitâ Iulij Agricolæ.

CAPVT V.

De varijs Principum in Belgio & Burgundiâ Capellanis & Archicapellanis, qui Nati appellantur.

I. *Abbas S. Maximini, eſt Imperatricis Archicapellanus.*
II. *Præpoſitus S. Donatiani, Comitum Flandriæ Archicapellanus.*
III. *Abbas S. Huberti, Comitum Haynoniæ Capellanus.*
IV. *Abbas Parcenſis, Ducum Brabantiæ Archicapellanus.*
V. *Præpoſitus Frigidi Montis, Aulæ Bruxellenſis Capellanus.*
VI. *Decanus S. Capellæ Diuionenſis, Ducum Burgundiæ Capellanus.*

I. IN præſenti argumento Capellanos à me bifariàm diſtingui operæ pretium eſt, vt nempe alij *Nati* ſint, alij *Aſſumti*. Natos intelligo, qui ſtatim atque dignitatem quamdam conſecuti ſunt, hanc alteram ſimul, vtpote priori annexam,

annexam, adipiſcuntur. Nolim tamen hîc ſtudioſè cuiuſquam iuri detrahi, neque ſcriptione meâ nouum quid vlli ex ijs quos poſteà referam aſſerere; quia nempe Auctores habeo, quorum ſuffragio haud ita temerarius ſim, vt velim plus æquo tribui. Eiuſmodi tamen Archicapellanus eſt, vt à Belgis incipiam, α Abbas S. Maximini iuxta muros Treuericos (non item Fuldenſis, vt ait doctiſſimus β Turturetus; huic enim γ Archicancellarij Auguſtæ dignitas dumtaxat propria eſt;) qui Archicapellani Romanorum Imperatricis munus ac dignitatem ſuſtinet.

α Zylleſius in Defenſione Abbatiæ Sancti Maximini c. 1. ſect. 2. §. 4.
β In Sacello Regio c. 3. n. 4.
γ Broweṙus Antiquit. Fuldenſ. l. 1. c. 15.

II. Eiuſmodi item apud Flandros S. Donatiani Præpoſitus; de quo Ioannes Iperius in Chronico manu exarato ſub annum M. XCVIII. vbi de Roberto II. Flandriæ Comite: *Ipſe etiam Comes,* inquit, *ordinauit, & perpetuò conſtituit Præpoſitum S. Donatiani Brugenſis, ſuum Archicapellanum & Flandriæ Cancellarium.*

III. Habebant & ſuum Comites Haynoniæ Andainenſem, ſiue S. Huberti in Arduennâ ſyluâ Abbatem, teſte Balduino Aueſnenſi, Auctore item nondum typis vulgato: *Poſtquam,* inquit, *Balduinus Comes Haynoniæ, filius Richildis, perditus fuit in itinere, in quo cum Hugone, Fratre Regis Francorum Philippi, verſus Imperatorem Conſtantinopolitanum Alexium ibant, à Turcis inuaſi, auditis in Haynoniâ rumoribus, Ida Comitiſſa vxor eius Romam peregrè profecta eſt, vt aliquid veritatis inquirere poſſet ſuper illis: ſed cùm nihil aliud intelligere poſſet, niſi quòd eſſet perditus, ad partes ſuas reuerti volens, tandemque per Arduennam tranſiens, apud S. Hubertum declinauit inſidias ſibi poſitas à Comite de Ciſneio; & poſtquam aliquamdiu ſtetiſſet ibi, reuerſa eſt in Haynoniam. Propter curialitatem autem, quam*

inuenerat in Abbate, quædam Allodia ſua dedit ei iuxta S. Hubertum, tali conditione quòd Abbas eſſet Capellanus Comitis Haynoniæ, & teneretur intra Comitatum Haynoniæ ter in anno Mißam celebrare ad petitionem Comitis.

IV. Præterea & hîc in Brabantiâ, in quâ verſamur, cùm florentiſſimæ huius regionis Duces Louanij agerent, Parcenſem Abbatem, qui haud procul mœnibus eiuſdem vrbis Deo cum ſuis famulatur, Archicapellanum habuêre, Miræo teſte, qui inter Donationes Belgicas Ioannis IV. Brabantiæ Ducis, Antonij Burgundi Ducis filij, diploma profert in hunc modum: *Ioannes Dei gratiâ Brabantiæ & Limburgi Dux, Sacrique Imperij Marchio, vniuerſis & ſingulis ad quos præſentes noſtræ litteræ peruenerint, ſalutem & dilectionem. Cùm venerabilis in Chriſto Pater Domnus Gerardus, Abbas Monaſterij B. Mariæ Parcenſis prope Louanium, Præmonſtratenſis Ordinis, Leodienſis Diœceſis, Capellanus noſter fidelis & in Chriſto dilectus nobis expoſuerit, quòd Prædeceſſores ſui Parcenſes Abbates de iure & antiquâ conſuetudine fuerint Archicapellani & Confeſſores perpetui Prædeceßorum noſtrorum Brabantiæ Ducum; ipſiſque etiam ius competierit ratione prædictæ Parcenſis Eccleſiæ, in ſummis feſtiuitatibus coram præfatis Ducibus, & in ipſorum Capellâ Myſtica ſeruitia & alia Officia celebrare Diuina; nobis humiliter ſupplicando, quatenus ipſum prædictæ ſuæ Eccleſiæ ac ſuorum Succeßorum nomine, in omni eo iure, quod ſibi in præmiſſis quomodolibet competere poterit, conſeruare dignaremur, litteraſque ſibi deſuper concedere opportunas. Hinc eſt quòd nos, attendentes quòd iuſta petentibus non eſt denegandus aßenſus, communicato priùs ſuper hoc conſilio cum nonnullis Conſiliarijs noſtris, ac maturâ deliberatione præhabitâ, declarauimus, ac tenore præſentium*

ſentium declaramus, volentes prælibatum Abbatem ac Succeſſores ipſius, tamquam noſtros Archicapellanos & Confeſſores perpetuos, in noſtrâ & Succeſſorum noſtrorum Brabantiæ Ducum præſentiâ in ſummis feſtiuitatibus Diuina ſeruitia & Officia celebrare, omnia alia & ſingula facere debere, ratione dictæ ſuæ Eccleſiæ ſibi incumbentia quomodolibet de conſuetudine vel de iure; quodque ipſi ac Succeſſores ſui memorati vniuerſis & ſingulis prærogatiuis, priuilegijs, gratijs, libertatibus & immunitatibus potiri debeant & gaudere, quibus Prædeceſſores ſui freti fuerint & gauiſi, ac cæteri Capellani noſtri potiuntur & gaudent; nec non ad nos pro ſuis promouendis negotijs recurſum habeant cum fiduciâ ſpeciali; noſtro vel cuiuſlibet alterius iure in præmiſſis ſemper ſaluo, harum teſtimonio litterarum, ſigilli noſtri appenſione communitarum. Datum in Oppido noſtro Bruxellenſi menſis Aprilis die vigeſimâ ſecundâ, anno Domini milleſimo quadringenteſimo decimo ſexto. Per Dominum Ducem, Domino Henrico de Bergis, Domino Grimbergenſi, & Domino de Melino, & Henrico Domino de Heuerle, Militibus, ac Raſone de Gaueren, Domino de Maleue, Reinero Moers, & Henrico de VVerthuſen, nonnulliſque alijs de Conſilio præſentibus. De Dinter.

Addit idem Miræus, in Notis ad prædicti Ioannis V. diploma, de Præpoſito Frigidi Montis hæc verba: *Præpoſitus Canonicorum Regularium Sancti Iacobi in Monte Frigido, iuxta Bruxellenſe Ducis Palatium, eſt Capellanus hereditarius, & gaudet mitrâ ex beneficio Pontificis Romani, procurante, niſi fallor, Philippo Bono. Abbas porrò Parcenſis, temporibus Alberti & Iſabellæ Principum noſtrorum, ſuum quoque inter Capellanos Oratorij Palatini locum habuit.* Habet etiamnum Præpoſitus hodiernus Frigidi

 Montis,

Digitized by Google

Montis, Dionyſius de Carnin, ex gratiâ Sereniſſimi Archiducis Leopoldi.

VI. Finem dicendi fecero, ſi & quidpiam de Burgundiâ, & Capellâ Ducum, quæ priuilegio in corpore iuris clauſo fruitur, & à α Bartholomæo Chaſſanæo & β Claudio Roberto illuſtrata eſt, adiecero. Argumentum eſt piæ quondam Hugonis III. Burgundiæ Ducis munificentiæ, qui procellâ iactatus, imminente vitæ periculo, vouit Capellam hanc à fundamentis ſe excitaturum; eamdemque magnis deinceps exornauit priuilegijs. ait enim: *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, Amen. Ego Hugo Dux Burgundiæ notum volo eſſe præſentibus & futuris, quoniam Hieroſolymam proficiſcens, præ nimiâ maris turbatione, & imminentis periculi acerbitate, tam ego, quàm omnes qui in nauigio erant grauiter perterriti fuimus: ea propter votum faciens Deo promiſi, me conſtructurum in meâ Curte apud Diuionem Eccleſiam, in honorem S. Dei Genitricis Mariæ, & B. Ioannis Euangeliſtæ; vnde factum eſt, vt in reditu meo Romam veniens, quod voueram per manum bonæ memoriæ Alexandri Summi Pontificis Deo obtuli, & auctoritate Apoſtolicâ (quemadmodum in authentico ſcripto, quod ab eo impetraui, continetur) confirmari feci. Cùm autem rediȷſſem gratiâ Dei, conuocatis amicis meis & multis honeſtis viris, decem Clericos pro remedio animæ meæ, & Prædeceſſorum Succeſſorumque meorum ſalute, Deo in perpetuum ſeruituros apud Diuionem inſtitui, quibus, laudante Aalide vxore meâ, & Odone primogenito meo, in eâdem villâ in proprios vſus redditus aſſignaui; videlicet quidquid habebam de ventis, & aſtalagium quod mihi debebant panifici, & calceamentorum conſtructores, & placitum generale. Conceſſi etiam eiſdem Clericis, vt eamdem habeant*

α In Catalogo gloriæ mundi parte 12. conſid. 63.

β In Diuione, ad calcem Galliæ Chriſtianæ.

Digitized by Google

beant apud Diuionem libertatem, quam habent Eccleſiæ principales; ſcilicet duæ quæ in eâ ſunt, & Milites. Quoniam autem Eccleſia iſta ſpecialiter mea eſt, & præcipuum tribulationis meæ refugium, & oblatio votiua Deo liberatori meo, conceſſi eis pluſquam cæteris; vt videlicet Clerici & deſeruientes liberum habeant attractum in villâ Diuionenſi eodem modo quo ego habeo; id eſt, libertatem retinendi homines eamdem, quam ego habeo in villâ Diuionenſi. Dedi etiam eiſdem Clericis tres de hominibus meis ad ſufficiendum Eccleſiæ ſuæ thus, oleum & ceram, quia nullos adhuc habebant homines; qui videlicet tres homines, & ſeruientes Clericorum, qui de domo & menſâ eorum erunt, alij quoque illorum homines, quos Deo largiente prædicto vel alio iuſto modo poterunt acquirere, ab omni exactione & talliâ, ſeu quacumque conſuetudine omnino liberi erunt, plenarium vſum fori habentes ſicut homines Ducis; quorum videlicet hominum, vel ſeruientium Clericorum, ſi quiſquam in cauſam trahatur, non reſpondebit niſi per Dominos ſuos; qui ſi culpabilis inueniatur, lex eius in manu Dominorum ſuorum erit. Quidquid verò ijdem Clerici de meo caſamento poterunt acquirere, liberum habebunt. Vt verò ijdem Capellani mei de menſâ meâ & domo eſſe manifeſtiùs cognoſcantur, in Feſtis annalibus, id eſt, in Natiuitate Domini, in Paſcha, in Pentecoſte, in omnium Sanctorum, ſi Dux vel Duciſſa Diuione fuerint, accipient de expenſâ Curiæ, tamquam Commenſales Ducis, in perpetuum duos ſolidos pro pane, quatuor ſextarios vini, quatuor ſolidos pro coquinâ, vel æquiualens; oblationes omnes & beneficia Capellæ Ducis & Duciſſæ, vbicumque ſint apud Diuionem, ex integro ipſorum erunt; nec Capellanus Ducis vel Duciſſæ in eis quidquam habebit, niſi iure Canonicatus, & non iure Capellaniæ. Siquidem

quidem nec Dux, nec Ducisſa Capellanum habebit niſi Decanum Capellæ, vel aliquem de Canonicis ipſius; qui videlicet Decanus vice Domini Papæ curam animæ Ducis & animæ Duciſſæ debet habere, ſicut in præſenti habet curam animæ meæ Nicolaus Capellanus meus & Decanus Capellæ; quam curam ipſe à Domino Papâ Alexandro ſumpſit. Quoniam igitur Eccleſiam iſtam ad honorem Dei, & tutamen animarum Ducum Burgundiæ, & ad illuſtrationem domus illorum non dubito pertinere, ipſam tamquam Ducatus Caput & Turrim ſalutis Ducum cupio erigere, poteſtatem Ducum tantum exinde ſperans ampliari, quantum ad honorem ſuum Retributor omnium bonorum eam ab ipſis Ducibus videbit longiùs exaltari: vnde ſtatuo, & poſteritati meæ in ſalutem ſuam mando, vt quàm citò quis Dominium Ducatus ſuſceperit, ſtatim tamquam felix operum ſuorum initium adeat Eccleſiam ſuam; conſortium ſpiritale Canonicorum ſuorum recipiat; fidelitatem ei, & ſtatuta præſentis ſcripturæ ſe ſeruaturum iuret; ſingulos Canonicos in ſignum fraternitatis in oſculo ſancto recipiat, tam illos quàm res illorum in ſpeciale tutamen amplectens. Hoc ipſum *Duciſſa quoque in initio promotionis ſuæ, cùm venerit Diuionem, faciat; vt à ſancto & pio opere incipientes, cætera agenda auctore Domino deinceps proſperè ſuccedant; Eccleſiamque iſtam tamquam Cubile & Reclinatorium animæ ſuæ cuſtodiant, vt ſicut cætera corpori, ita hæc animis profutura conſeruentur. Vt autem hoc in poſterum ratum habeatur, præſentem paginam ſigilli mei impreſſione feci muniri. Teſtes ſunt Odo filius meus primogenitus (cuius laude hoc totum factum eſt) Maria venerabilis quondam Duciſſa Burgundiæ mater mea, Aymo de Diuione, VVillermus de Orgeolo, Milites; item, Bartholomeus, Cambellanus meus, Raynoldus de Edua Burgenſis:*

genſis: de Preſbyteris, Magiſter Nicolaus, Capellanus meus & Capellæ Decanus, Magiſter Hugo, Magiſter Guido Malus panis, Magiſter Richardus Diaconus. Actum eſt hoc anno Dominicæ Incarnationis M. C. LXXII.

E multis pauca hæc. Cæterùm nemo Antiſtites in Aulis horum Principum verſari miretur, cùm eos neque ambitio, neque vitæ ſacræ & religioſæ faſtidium è Monaſterijs & Canonicis Collegijs auocent. Faciet enim ſatis huic imperitorum exprobrationi vir eruditus inprimis Chriſtophorus Browerus, cùm duorum ſyderum Germaniæ, nempe Othonis Bambergenſis Epiſcopi, & Meinwerci Paderbornenſis, Regiorum quondam Capellanorum famæ conſulens, ſubijcit: *Cùm arma Martiales, à Muſarum caſtris alieniſſimi homines, tractarent hoc tempore, & Religio ac litteræ ab ijs eſſent longè, viros Palatio innutriri Sacrârum Ciuiliumque rerum callentes publica res ſuadebat. His domeſtica & Palatinam militiam, his Cancellorum decus, & reſponſorum ſapientiam, denique admiſſionum & inductionum officia (vtpote quibuſcum à pueris Religio & diſciplina in Monaſterijs & Collegiorum Cœnobijs adoleuiſſet) Principes tutiſſimè credebant. Atque in hoc genere liceat commemorare non paucos, qui oblata Sacerdotia fortiùs repudiarint, quàm alij ambijſſe viſi ſunt, vt exemplis SS. Hereberti Colonienſis, Godehardi Hildeneshemenſis, Othonis Bambergenſis Epiſcoporum, & aliorum, plurimis docere ſit facile.*

In Notis ad Vitam S. Meinwerci in Syderib. Germaniæ. Idemque Annal. Treuerēſ. lib. 12. in principio.

CAPVT

CAPVT VI.

De Protocapellanis & Archicapellanis Aſſumtis Regum ac Principum in hoc Belgio, eorumq́ue ſeries.

I. *Notabilia duo præmiſſa.*
II. *Præcipua Capellæ penes Archicapellanum eſt cura: medio tempore penes Confeſſarium fuit.*
III. *Archicapellanorum munus.*
IV. *Plurimum æſtimatur.*
V. *Eorumdem ſeries.*

I. Cap. 5. DE Archicapellanis aut Capellanis Natis ſuprà iam dixi; itaque de Aſſumtis mihi futurus ſermo, quorum operâ vſi Duces à Philippo Bono, ac poſteà vti cœperunt Auſtriaci Principes, cùm Hiſpaniarum ſceptra felici matrimonio conſecuti ſunt. Verùm operæ pretium erit capita duo ſupponere; ac primùm quidem, Ritibus Hiſpanicis & Burgundicis (quemadmodum alibi diximus) hoc pacto mixtis, interdum ſub vno eodemq́ue Archicapellano plures referri Protocapellanos, quos & ſuis locis exprimemus: ſed & hoc; vnum eumdemq́ue ſæpiſſimè Archicapellani & Summi Eleëmoſynarij geſſiſſe munus; vnde & ſub Alberto Pio vel idcircò in Palatinis eius Capellæ Conſtitutionibus nullum de Summi Eleëmoſynarij officio caput extat. (Præfatione huius Commẽt.)

II. His ita poſitis, aio penes Archicapellanum præcipuam rerum ſacrarum curam fuiſſe, etiam Rodulphi III. Burgun-

Digitized by Google

Burgundiæ Regis æuo: vnde non fruſtrà Beatus Hugo I. Archiepiſcopus Veſontinus, primùm Stephanienſis Collegij in eâdem Eccleſiâ Canonicus, tandemque Archicapellanus in Regiâ prædicti Rodulphi Capellâ *diu ſe ſudaſſe* commemorat: vnde & Oliuarius Marcanus, de administratione ſacræ Familiæ Caroli Audacis temporibus, loquitur in hunc modum: *Sunt in Capellâ Miniſtri quadraginta, comprehenſo Epiſcopo vno, qui ipſi eſt à Confeſſionibus, alijſque tribus Dominicanis item Sacerdotibus ad excipiendas confeſſiones, alijs quoque Capellanis & Miniſtris, Organiſtâ, & Sommelerio. Qui Capellani, Cantores & Miniſtri à Protocapellano reguntur, & quocumque tandem in loco ſint, Horas eius diei & Miſſam ſolemnem cantant: cui ſeruitio omnibus horis intereſt Princeps, quoties cum illo ſunt, ac præſertim Miſſæ ac Veſperis. Neque ſilendum, prædictum Epiſcopum Fratreſque Iacobinos magnos Clericos eſſe, Doctores & Prædicatores, ac ſæpenumerò concionari.*

Ex Teſtamẽto M. S. Hugonis I. Archiepiſcopi Biſontini.

At licet Marcanus omnem Protocapellano auctoritatem tribuat, ita tamen intelligenda eſt viri illuſtris ſententiâ (quemadmodum alibi dicam) vt & ipſe Protocapellanus per ea tempora Confeſſarium Principis ſuperiorem habuerit; cùm id iuris ipſi ſubduci tantummodò cœperit anno M. D. XVII. quo primùm adinuenta *Capitis Capellæ* dignitas; eâque inſignitus legitur, in Conſtitutionibus Palatinis eiuſdem anni, Cordubenſis Epiſcopus, adiectis ſub eo binis Protocapellanis.

Exinde, is qui munus hoc geſſit, *Archicapellanus* eſt dictus; propriumque eius eſt decorem Officij Diuini, ac Miniſtrorum ordinem ſedulò vbique procurare; quemadmodum & ne Capellani aliíve Miniſtri inferiores cuiuſquam delicti criminíſve notam incurrant; & ali- III.

quâ inualetudine tentatis, de conſilio Medici lacticiniorum carniúmve vſum diebus ab Eccleſiâ prohibitis indulgere; Sacramenta denique Principibus manu ſuâ impertiri; & prouidere, vt tota Principis domus exequatur quæ ſunt Diuini cultus ac mandatorum Eccleſiæ, Paſchali ſolemni quàm maximè, quo ſingula capita tradent illi ſchedulam peractæ confeſſionis indicem: quâ in parte, ſi cuiuſquam neglectus deprehendatur, iſtum ſeuerâ monitione caſtigabit, compelletque quamprimùm implere quæ ſunt muneris; ac ſi porrò pergat negligere, denuntiabit Principi.

Fruitur autem priuilegio, quo Albertus Pius anno M. DC. octauo die Decembris, de his edito decreto quæ ad perſonam ſuam ſpectarent, & Roderico Niño & Laſo corporis ſui Sommelerio inſcripto, velle eum frui declarauit hoc modo: *Capellanus Maior poteſt ingredi vſque ad cubiculum Magnatum, atque intereſſe noſtris prandijs; & comitari me vſque ad cubiculum in quo hærebo. Cùm autem venerit ad horam Miſſæ, aut alud Officium Nobis ſignificandum, poteſt introgredi quocumque fuerimus, rogans quid rei agamus, & ſtatim egrediens.*

Et ex Regijs Conſtitutionibus anni M. DC. III. *Quoties res poſtulabit vt Capellanus Maior Principem adeat, ei licebit ingredi per ſacri cubiculi poſticulum: & ſi quid vrgens habeat cum Principe communicandum, nec differendum quoad ille ſit perueſtitus, differet tamen donec eatenus ſit indutus, quà commodum ſit coram illo ſe ſiſtere; verbóque ſe adeſſe denuntians, cubiculum tractandis negotijs ingredietur, quamquam necdum omni ornatu concinnato. Neque ab alio quoquam mandatum accipiet Capellanus Maior, quàm ab ipſomet Principe: quem ſi contingat decumbere, illi patebit acceſſus*

acceſſus in ſacrum cubiculum, menſæ manè ac veſpere benedicendæ. Idemque obtinebit, ſi Princeps, ſiue ob luctum, ſiue ob aliam cauſam remotis arbitris cœnabit.

Cùm Principem comitabuntur Capellanus Maior & Eleëmoſynarius M.. or, ponè ſequentur vnà cum Nobilibus Cubiculariis; ſi verò etiam in publicum procedet, locum eumdem obtinebunt cum iiſdem Nobilibus.

Capellanus Maior ſedulam dabit operam, vt iidem honores Principi deferantur, qui Regiæ Maieſtati exhiberi ſolent, tam in Oratorio quàm in templis alibi aliis, ſeu publicè, ſeu priuatim. Ne in Oratorio alia Miſſa quàm pro ipſo Principe celebretur, eaque per eos quorum id muneris erit; nève aliis Preſbyteris liceat abſente Principe pro domeſticis facere, vt ſi qui minùs interfuerint, alibi Miſſam audiant.

Cùm Ædem aliam adibit Princeps, ſiue Sacri audiendi, ſiue Concionis alteriúſve Officii cauſâ, vbi nullum erit Conopeum, Oratorii Sacriſta præſtò erit ad locum Principi deſtinatum cum puluillo, quem ingreſſo iam Principe porriget Summo Oeconomo, vel eo abſente, cui tradi ius erit. Et ſi Sacrum ſolemnè faciendum ſit coram Principe in aliquâ Religioſâ domo, loci Præſidi, aut alicui Religioſo graui; ſi verò in Æde Cathedrali aut Collegiatâ, vni Canonicorum dignitatem aliquam obtinenti permittere id muneris poterit Capellanus Maior: quod de Principe iter faciente intelligendum; vbi enim domicilium fixerit, ſpectat ad Aulæ Capellanos. Si in publicam Supplicationem prodeat, aut Venerabile Sacramentum comitetur, cereum acceptum ab Archicapellano eidem tradit finitâ Supplicatione.

Solet Princeps in Oratorio ſuo ſumere Sacram Synaxim, quo etiam tempore Confeſſarius Sacrum facit; qui ſi vel morbo vel aliâ de cauſâ impediatur, Capellanus Maior celebra-

bit, adminiſtrabitque Communionem; cuius hæc eſt formula: Sacerdotalibus veſtibus ſuccincto Confeſſario accedit Princeps, eoque mox in genua prouoluto, Capellanus Maior patenam accipit in quâ duæ hoſtiæ; quarum alteram tradit Oratorij Sacriſtæ prælibandam, alteram conſignat in manus Confeſſarij, quam ille aptè reponit ſuo loco conſecrandam. Tum Oratorij Sacriſta pateram ablutionis, operculatam & diſco inſiſtentem, offert Capellano Maiori, qui eâ retectâ tantillum inde ſeu aquæ ſeu vini in diſcum effundit à Sacriſtâ prægustandum. Dein Capellanus Maior pateram coopertam collocat in Altari, atque ita Sacrum inchoatur. Peractâ verò Communione celebrantis, ſurgit Capellanus Maior, & profundâ reuerentiâ Sacramento exhibitâ, obuertit ſe Principem verſus, quem alterâ reuerentiâ inuitat ad Altare; ad cuius imum ingeniculo Principe ſine puluillo Capellanus Maior ſumit mantile Communionis, eiusque alteram oram celebranti tradit, alteram ſummo Aulæ Oeconomo, aut, eo abſente, Magno Cubiculario, aut Stabuli Præfecto, aut ei cui id quoquo modo competierit. Magnus ergo Oeconomus, poſt acceptam alteram oram mantilis è manibus Capellani Maioris, ſumit & alteram à celebrante, atque ita vtramque ſuſtinet ſub ore Principis, dum interim Capellanus Maior ei tradit accenſum album cereum, pronuntiaturque confeſſio. Sumptâ Euchariſtiâ, Confeſſarius pateram ablutionis accipit de Altari, exhibetque Principi, atque intereà Capellanus Maior diſcum ſubter ſuſtinet, ac è Nobilibus Cubiculariјs vnus mantile ori abſtergendo porrigit.

Capellanus Maior inſtabit, vt Oratorij Sacriſtæ eximiam venerationem Patri Confeſſario deferant, & ipſi Sacro faciendo neceſſaria ſedulò ſubminiſtrent, eamdemque obſeruantiam Capellanis Honorarijs exhibeant, chlamydes ante Miſſam eorum

eorum humeris tollendo, & poſt peractum Sacrum reponendo; ac ne ſocius Confeſſarij Oratorium ingrediatur, ijdem Sacriſtæ ipſi idem officium deferant.

Capellanus Cohortis Prætoriæ ſuberit omni ex parte Capellano Maiori, à quo petet quidquid exiget officium, referetq; rationes omnes, indicans ſi quid corrigendum videbitur, vt per eum relatione factâ ad Principem, de remedio ſtatuatur.

Capellanus quoque Epheborum ad Archicapellanum ſimiliter referet, ſi quâ ex parte diſciplina Religionis inter illos laboret, vt communicato conſilio cum Magiſtro Stabuli, vel etiam, ſi res expoſcat, cum ipſo Principe, adhibeatur opportuna correctio.

Denique Archicapellanus ſedulam curam geret in Capellanorum Oratorij commoda, tuitionemque ac promotionem; hoc ſpectans, vt omnibus honoribus, prærogatiuis emolumentiſque à Principe obuenientibus & indultis perfruantur.

Hinc minimè hallucinatus eſt Bentiuolus Cardinalis, vbi ſcriptum reliquit: *Plurimum hodieque æſtimatum Capellani Maioris munus*: dignus vtique eiuſdem rei teſtis, cùm ſub Alberto Archiduce Nuntiaturam Apoſtolicam in Belgio ſuſtineret; vti opportuniore loco dicturi ſumus. IV.

Facturum porrò me operæ pretium duxi, ſi eorum, qui varijs licet nominibus Capellæ præfuerunt, ſeriem annecterem; eamque ex Palatinis Conſtitutionibus & variâ Scriptorum lectitatione contextam à Philippi Boni temporibus, hoc vbique ſeruato deinceps ordine; tametſi obſeruarim etiam ſub Antonio Brabantiæ & Limburgi Duce, & Ioannâ Luxemburgicâ eius coniuge, nobilem Picardum, IOANNEM DE PIQVIGNY, Protocapellanum fuiſſe. V. Conſt. Palatinæ.

Gazæus in Hiſtoriâ Eccleſiaſticâ Belgij. Buzelinus Parte alterâ Gallo-Flandriæ.

FORTIGARIVS DE PLACENTIA, Brugenſis Belga, Archidiaconus Atrebatenſis, & S. Petri Inſulenſis, Beatæque Walburgis apud Furnas Præpoſitus, Philippo Bono Burgundiæ & Brabantiæ Duci à Conſilijs; ex Eleëmoſynario eiuſdem Principis Protocapellanus (voce hac in eius Epitaphio vſurpatâ) & mox Atrebatenſis Epiſcopus electus; cuius epulis Pontificalibus, vbi poſſeſſionem ſponſæ ſuæ inijt, interfuit optimus Princeps. Obijt anno M. CCCC. LII.

Ex Tabulis Capituli Bethuniẽſis.

NICASIVS DE PVTEO, Eccleſiæ Collegiatæ Sancti Bartholomæi Bethunienſis Præpoſitus & Canonicus, Philippi Boni Burgundionum & Belgarum Principis Conſiliarius & Protocapellanus, anno M. CCCC. LXIV.

Conſt. Palatinæ.

PHILIPPVS SYRON, Caroli Audacis Burgundiæ & Brabantiæ Ducis Protocapellanus, anno M. CCCC. LXXIII. Idem munus adminiſtrauit eodem Carolo in obſidione Nanceianâ cæſo, ac deinceps Mariâ eiuſdem filiâ rerum potiente.

Conſt. Palatinæ.

NICOLAVS MAYOLVS ſenior, eâdem Mariâ Principe repentino caſu è viuis iam ſublatâ, Protocapellanus Philippi eiuſdem filij fuit, anno M. CCCC. XCV. vti & anno M. D. IV. quo regimen Aulæ ſuæ inſtaurauit Philippus Rex. Senioris agnomen factum huic inde legitur, quòd eodem tempore alter *Nicolaus Mayolus* eidem Principi eſſet ab Eleëmoſynis; cuius agnatus Philippus Mayolus, Cathedralis Eccleſiæ Cameracenſis Decanus, cum alijs magni nominis & dignitatis viris, candidatus fuit muneris Cancellarij Ordinis Velleris aurei in Comitijs Tornacenſibus, anno M. D. XXXI.

Antonius Lalanus, Hochſtrati Comes, in Itinerario M. S. Philippi I.

Raiſſius in Belgicâ Chriſt.

HENRICVS A BERGIS, Ioannis Bergarum ad Scaldim Domini, & Equitis Velleris aurei filius, ipſeque

adeò

adeò eiuſdem Ordinis Cancellarius, Protocapellanus fuit eiuſdem Philippi I. illiuſque in Hiſpanico itinere comes, & poſtremùm Cameracenſis Epiſcopus.

DIDACVS RAMIREZ, natus Villæ Eſquuſæ, in Epiſcopatu Conchenſi, vir magnus, primus poſt Granatam Mauris ereptam Eccleſiæ Cathedralis Decanus ibidem electus, Ioannam Reginam, cùm in Belgium ſe conferret ad Philippum Auſtriacum, comitatus, eiuſdem Protocapellanus creatus eſt, & Epiſcopus Aſturicenſis nominatus, tum Malacenſis, ac poſtremò Conchenſis. Obijt anno M. D. XLVII. Cùm in Belgio verſaretur anno M. CCCC. XCVIII. typis Antuerpiæ Latinè vulgauit Commentariolum quemdam de Obitu Ioannis Caſtellæ Principis, eoque Iſabellæ Reginæ Catholicæ inſcripto nuncupat ſe *in Theologiâ Profeſſorem, Giennenſem Decanum, & Illuſtriſſimæ Ioannæ Archiducis Auſtriæ* PROTOSACERDOTEM.

Ægidius Gonçalez d'Auila in Theatro Eccleſiar. Cathedral. Hiſpaniæ Tom. I. Sandouallius To. I. Vitæ Caroli V. l. I. §. 5.

PETRVS RVIZ DE LA MOTA ex Primo Eleëmoſynario factus eſt Protocapellanus anno M. D. XI. Caroli I. tum Hiſpaniarum Principis, de conſilio Maximiliani Imperatoris & Margaretæ Caroli Amitæ; adiectis alijs duobus Protocapellanis; quorum nomina ſunt:

Conſt. Palatinæ.

MARBRIANVS DE ORTHO, primùm à Sacris Oratorij, & Niuellenſis in Brabantiâ Decanus, Philippi Auſtriaci, iam Regis, Protocapellanus fuit, anno M. D. VI. & comes Hiſpanici itineris eodem anno ſuſcepti, ac procellarum in Oceano particeps; è quibus in Belgium redux vitam B. Gertrudis Niuellenſis Gallicè verti iuſſit, voti eiuſmodi inter pericula emiſſi reus.

Conſt. Palatinæ. Vita Sanctæ Gertrudis l. 5. Conſt. Palatinæ.

ANTONIVS A BERGIS, Henrici antè laudati frater, vnà cum Marbriano, ſemeſtribus inter ſe partitis, Protocapel-

Heuterus in Genealogiâ Bergenſi.

tocapellanus eiuſdem Philippi fuit; geſſitque idem munus anno M. D. XXII. ac poſteà Audomaropoli Bertinianus Antiſtes creatus.

Ex Comment. M. S. Ægid. Gonçalez d'Auila in Theatro Eccleſiar. Hiſpaniæ.

ALPHONSVS MANRIQVE', electus Epiſcopus Cordubenſis, anteà Sanctæ Toletanæ Eccleſiæ Canonicus, & Pacenſis Epiſcopus, mox Cordubenſis; quo titulo fruebatur anno M. D. XVII. vti ad eam Eccleſiam recèns tranſlatus, cùm Capellæ Palatinæ à Carolo Rege moderator & caput creatus eſt: inde iterùm ad Sedem Hiſpalenſem tranſlatus fuit, ac demum Cardinalitiâ purpurâ ornatus. Cæterùm ei quoque dati Protocapellani duo inferiores. fuerunt autem hi:

Conſt. Palatinæ.

CRISPINVS DE STAPPEN, qui non ſemeſtris, ſed perpetuus per annum cum Antonio à Bergis Protocapellanus fuit, eodem anno M. D. XVII.

Et hi quidem ſunt Protocapellani, qui reperiri per ea tempora à me potuerunt; quocircà non dubitem, mortuo Cordubenſi Epiſcopo, qui inter Protocapellanos primarius fuerat, aliquamdiu neminem illi ſuffectum; ſiue quia Summus Eleëmoſynarius eo ſimul defungi munere cœpit; ſiue quòd in Aulâ Imperatoriâ haudquaquam Antiſtites deeſſent, qui adeſſe Eleëmoſynario maiori poſſent, & laborem illius minuere; vti ſæpiſſimè ad aras coram Imperatore feciſſe Antonium Perrenotum, Epiſcopum Atrebatenſem, Ioannes Vandeneſſius in Diario Vitæ Caroli V. memorat: ſiue denique, quia Compoſtellanus Archiepiſcopus eo per ſe munere (eſt enim natus Aulæ Hiſpanicæ Archicapellanus) defungebatur: quod & perſpicuè admodum innuit Franciſcus Lupus de Gomara in Indice Hiſtorico M. S. rerum à Carolo V. Imp. geſtarum ſub annum M. D. XLIX. vbi ait: *Diſſidium*

inter

Digitized by Google

inter Canonicos Valliſoletanos, & Archiepiſcopum Compoſtellanum; Dominum Petrum Manuel, Capellanum Maiorem exortum eſt; vbi quæſitum, quiſnam Officium Corporis Chriſti perageret: Rex enim Maximilianus Supplicationi intereſſe debebat. Quoniam autem eidem haud interfuerunt Canonici Maioris Eccleſiæ, quinque ex ijs in Luſitaniam ſunt amandati: Capitulum pro vniuſcuiuſque culpâ fuit punitum.

PETRVS DE CASTRO, Epiſcopus Salmanticenſis & Conchenſis, Philippi II. Regis in itinere Anglicano Archicapellanus; quem tamen in Belgium migraſſe haud ſatis certò ſcio.

PETRVS DE ALARCON, Capellanus & Eleëmoſynarius Maior Alberti Archiducis Cardinalis, admiſſus VI. Nouembris M. D. XCV. Obijt Antuerpiæ XXVIII. Auguſti anni M. D. XCVI. eique ſucceſſor datus in vtroque munere, ſequenti menſe Octobri,

PETRVS TOLETANVS, eiuſdem Archiducis Camerarius; qui & Cortinæ Præfecti munus impleuit, poſtmodum ad Romanum Pontificem Legatus. Quo abſente, Carolus Maſius ipſi in officio Maioris Eleëmoſynarij ſuffectus, & alia etiam duo eius munia exercuit.

FRANCISCVS A RYA, primariæ nobilitatis Sequanus, Alberti & Iſabellæ anteà ſummus Eleëmoſynarius, & Oratorij Præfectus, Toletano in Hiſpaniam reuerſo, ibique mortuo, Capellanus Maior renuntiatus eſt die XIX. Octobris M. DC. XX. & FERDINANDO A RYA Patruo, Archiepiſcopo Biſontino, Adiutor paſtoralis muneris datus, Cæſareenſis Archiepiſcopus in Capellâ Regiâ, vt alibi quoque dicam, ritè conſecratus. Is dum Patruo è viuis ſublato, iam Archiepiſcopus Biſontinus

ſontinus reditum in Burgundiam, atque ad gregem ſibi commiſſum meditatur, diem obit Bruxellæ XVII. Aprilis, anno M. DC. XXXVII. apud Patres Societatis IESV ſepultus.

FRANCISCVS VILLANI DE GANDAVO, ex Comitibus de Iſenghien; qui primùm exercitio Archicapellani ſibi demandato, deinde datis à Regiâ Maieſtate litteris ad Sereniſſimum Principem Ferdinandum IV. Maij M. DC. XXXIX. eâdem Regiâ auctoritate abſolutè Archicapellani officio ac dignitate fungi cœpit XXIII. Nouembris M. DC. XL. Atque ad vltimum, poſt maxima quæque tum ſacra tum alia geſta in Repub. munera, & Capellæ ipſius iura ſtrenuè admodum vindicata, Maximiliano Patruo Epiſcopo Tornacenſi Regis maximi oraculo ſuffectus, in Capellâ Regiâ præſente Sereniſſimo Leopoldo Guilielmo Archiduce Auſtriæ inauguratus eſt, anno M. DC. XLVII. Kalend. Decembribus, Conſecratore Reuerendiſſimo Engelberto des Bois, Epiſcopo Namurcenſi.

Hodie Capellæ præeſt, atque in Archicapellani officio ſummâ cum laude verſatur

FRANCISCVS IOANNES DE ROBLES, ex Comitibus de Anappes; qui & ſummus Eleëmoſynarius. de quo infrà Capite ſequenti in fine.

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT VII.

De Eleëmoſynarijs, eorumque munere atque attributis.

I. *Principum Burgundionum in egenos propenſio.*
II. *Maximè honorificum, & ab antiquo, fuit Eleëmoſynarij munus.*
III. *Mandatum, ſiue Lotio pedum pauperum XIII. Feriâ V. in Cœnâ Domini. Principum Natalis dies ſolemni Eleëmoſynâ celebris.*
IV. *Attributa Eleëmoſynariorum varijs temporibus.*
V. *Reginæ Catholicæ Eleëmoſynarium Maiorem habent, contra Peyratium.*
VI. *Eorumdem ſeries in Belgio ad noſtra vſque tempora.*

ID muneris ſicubi, certè apud Principes noſtros magnæ fuit auctoritatis: illi quippe profuſæ in egenos liberalitatis, & pertuſis omnes fuiſſe manibus, vti Alphonſus ille Hiſpaniarum Rex, memorantur. Principio ſub Ducibus Eleëmoſynarij ſimpliciter dicti, primum à Protocapellanis locum obtinuère, vt è Catalogis Aulicæ per ea tempora Familiæ conſtat, atque ex emanatis retrò ac deinceps Principum Conſtitutionibus; ijque honorati omnes iam erant, etiam ſub varijs Belgij Prouinciarum Principibus, vt qui Ludouico Malano Flandriæ Comiti PHILIPPVS DE ARBOSIO, Tornacenſium dein Epiſcopus; & qui Antonio Burgundo Brabantiæ ac Limburgi I.

Vaſcócell. de Regib. Luſitan.

Iacob. Meyerus Annal. Fland. lib. 13.

Conſt. Palatinæ. burgi Duci, anno M. CCCC. VII. IOANNES DE RANST, vir nobilis, & familiâ Mechlinienſium Dynaſtarum ſatus, ab Eleëmoſynis fuit.

II. Ibidem. Iam tum ſub iſto id cautum, vt reſidui cibi menſæ Procerum Aulicorum, commodo egentium cederent. idemque anno M. CCCC. XXIX. ſub Philippo Brabantiæ Duce, memorati Antonij filio; niſi quòd Nobili ad menſam miniſtranti ferculum vnum ſubducere liceret, cæteris mulierculaꝛum eremiticam vitam agentium ſubſidio deſtinatis.

At penes Principem & Capellam munus Eleëmoſynariorum eſt, quale ab Oliuario Marcano & in Palatinis Conſtitutionibus Caroli Audacis deſcribitur his verbis: *Dux habet inſuper vnum Eleëmoſynarium, atque alterum Eleëmoſynarium, viros tantæ auctoritatis ac meriti, vt eleëmoſynas pro Principe diſtribuant ex conſcientiâ, quæ quotannis viginti millia librarum argenti excedunt. Et quando ex aliquâ vrbe Dux egreßum parat, Eleëmoſynarius eos ad illum ſcripto refert in quos eleëmoſynæ rectè poſſint impendi; vt ſenes capulares, detentos in vinculis, mulieres puerperas, orphanos, pauperes virgines nuptui tradendas, incendio aliiſve fortunæ caſibus ad inopiam redactos; & eorum vnicuique Dux pro ſuâ deuotione eleëmoſynas erogat, & chartam oblatam ſubſignat, vt ſoluantur antequam Eleëmoſynarius vrbe egrediatur. Spectat & ad Eleëmoſynarium oblationes diſtribuere ac partiri, quæ quotidie fiunt à Principe, etiam in Mißâ; debetque idem Eleëmoſynarius ad eius menſam dicere Benedicite & Gratias.* At Palatinæ Conſtitutiones Caroli V. Cæſaris, & Philippi II. eius Filij longè explicatiùs agunt de officio Eleëmoſynariorum, in hanc planè ſententiam: *Eleëmoſynarius Maior*

omnem

Digitized by Google

omnem pecuniam erogat ex animi ſui ſententiâ (ſiue quia vis verbo ineſt, *ex conſcientiâ*) *quam ipſi ad hoc tradi Maieſtas ſua iubet, vt eleëmoſynis elargiendis impendat ſine vllâ reddendi rationem obligatione. Iuriſdictionem habet in omnes Capellanos, Cantores, & Miniſtros Capellæ, abſente Archicapellano; cum facultate & auctoritate in eos animaduertendi, qui muneris obliuiſcuntur ſui, aut alium quempiam errorem admittunt. Omnium Capellæ ſuppoſitorum iuſiurandum recipit, & vnà cum ſuâ Maieſtate de ſingulis rebus ad eamdem Capellam ſpectantibus ſolus confert. Ipſius eſt, Euangelium & Pacem oſculandam Maieſtati ſuæ præbere in Miſſis priuatis, ſi nullus Pontifex adſit; alioqui hunc ipſi honorem defert. Verùm, licet Euangelium & Pacem hoc pacto Pontifex quiſpiam ferat; nihilominùs Eleëmoſynarius Maior reuerentiam exhibet. Similiter menſæ ſuæ Maieſtatis Benedictionem impertitur, & Gratias agit, ſiue publicè, ſiue ſeorſim in interiore cubiculo, dummodò vt antè nullus Pontifex adſit; alioqui Eleëmoſynarius Maior ei cedet.*

Subſignat omnes extraordinarias expenſi rationes, tam Magiſtri Capellæ quàm famulorum eiuſdem & Oratorij, nec non Indicem eorum qui inibi ſeruiunt, tam Capellanorum quàm Cantorum; & ſic ſubſignata rata habentur in foro rerum domeſticarum, vulgò *le Bureau.*

Secundus Eleëmoſynarius, abſente Maiore, eâdem omnino quâ ipſe pollet auctoritate in Capellam & Capellanos; & in abſentiâ prædictorum Eleëmoſynarij Maioris & Secundi Eleëmoſynarij, antiquior Cortinæ Præfectus.

Magnâ Feriâ V. cùm Princeps progreditur ad viſitandum ſacrum Sepulchrum, Eleëmoſynarius Maior quaquauerſum eum comitatur; & in genua prouolutus ad eius latus dextrum, tradit illi in paterâ deauratâ obla-

tionem deſtinatam; idemque obtinet die Paraſceues Sancto, quo Crux ſolemni ritu adorari ſolet; itemque Natali Principis. de quo infrà.

Ex Regijs Conſtitution. anni M. DC. III.

Quotieſcumque ob valetudinem aliámve cauſam Principem carnibus veſci contigerit per Quadrageſimam, Quatuor tempora, alióſve dies indictiuos; menſæ reliquias pauperibus diſtribuet Eleëmoſynarius Maior; ac proinde Locum-tenens Eleëmoſynarij, aut Sacriſtarum Oratorij quiſpiam præſto erit ad Abacum, vt per eum reliquiæ illæ deferantur ad locum, eóſque, quos Eleëmoſynarius Maior indicauerit: hoc tamen cauto, ne Nobilis Sector, néve Conditarius lancem vllam ſibi auferant: ita vt ſi Nobilium iſtorum ſit quis æger, eoque appetens, indulgeri quidem illi poſſit ferculum vnum, ſed eleëmoſynâ redimendum.

Si quem contigerit è familiâ Principis ægrotare, Maiori Eleëmoſynario incumbet laborantem inuiſere, vtque ipſi in omnibus proſpiciatur aduigilare, maximè in ſpiritualibus.

Sed & hoc de Eleëmoſynarij munere tradit Oliuarius Marcanus, vbi conſultus de formâ & modo exequiarum Frederici III. Imp. reſpondit: *Protocapellanus & ELEEMOSYNARIVS inuigilare precibus debent, vt de nocte fiant, & ceremonijs alijſque pietatis exercitijs, quæ per Eccleſias & Collegia peragentur, eo quo ſtatuetur modo numeroque.*

III. Iam verò, Alberto & Iſabellâ feliciter regnantibus, cùm hæc pauperculi vnius, qui pueri IESV perſonam ſuſtinebat, ille tredecim pauperum pedes abluere & linteo abſtergere ſolerent, appoſito lautiſſimo prandio Feriâ V. quam vocant in Cœna Domini; egenorum eiuſmodi

modi electio Eleëmoſynario Maiori deinceps demandata eſt; quos inter longo armorum vſu attriti milites admitti ſolent. Aſſumti, atque à Medicis cubiculariis examinati, num aliquo fortè morbo contagioſo laborent, à Locum-tenente Eleëmoſynæ (qui inter Eleëmoſynarios nec locum nec ordinem obtinet, ſed illorum dumtaxat præſcripta exequitur) in aliquo Sacello Palatinis ædibus vicino congregantur, ibidemque Pœnitentiæ Sacris expiati, factâ Re Diuinâ, & ſub illam Euchariſtiâ refecti in Palatium deducuntur accubituri epulo, quod in cubiculo Nobilium adornatur hoc ordine: α Hoſpitiorum deſignatores menſam componunt, ſcamna & vimineas corbes, in quibus pauperum fercula reponantur. Mappas ſternunt Damaſcenas β Rei panariæ adminiſtri; ſuus ſingulis accumbentibus panis, culter, ſalinum & mantile: totidemque vaſcula fictilia inferunt γ Cellæ vinariæ cuſtodes, heminæ vnius capacia, & mero plena. Fercula, vt ad manum habeantur, in Audientiæ conclaui menſis imponuntur, quas parant hoſpitiis deſignandis Præfecti; & mappis operiunt δ Condimentorum ſtructores. Promulſides & Bellaria curant Panarij & ε Fructuarij: miſſus intermedios ζ Cellæ penuariæ miniſtri floribus, oliuis, malis aureis, citreis, & limonijs abundè inſtructos atque ornatos. Tredecim Pauperes longo mantili vnico, à ſinu ad imos pedes præuelati omnes conſidunt, & Principem Clerumque Palatinum hoc habitu præſtolantur. Quibus accedentibus recitatur Euangelium, in quo vbi ad illum locum ventum eſt, *Ponit veſtimenta ſua*, chlamydes exuunt; & mox ad ea quæ ſequuntur, *Et cùm accepiſſet linteum, præcinxit ſe*; linteis quoque, Chriſti Seruatoris exemplo, ſe præcin-

α La Fourriere.
β La Paneterie.
γ La Caue.
δ La Salſerie.
ε La Fruicterie.
ζ Le Gardemanger.

gunt

gunt Sereniſſimus Princeps, Eleëmoſynarius Maior, Legati Regij, Magnates, Palatinorum cubiculorum Cuſtos, eiuſque adiutores duo, qui in genua procumbentes peluim ſubinferunt pedum lotioni. Aquarium porrigit Principi Eleëmoſynarius Maior; mantile verò pedibus abſtergendis Magnus Oeconomus; aſſiſtentibus Legatis Regijs & Magnatibus, qui & aliquorum pauperum pedes lauant; Principe omnibus aquam infundente. Parique ſubmiſſione ad illa verba, *Et cùm recubuiſſet iterùm*, menſæ accubituris aquam ad manuum lotionem miniſtrat, quam à Sommelerio corporis accipit; linteum verò abſterſorium à Magno Oeconomo, aſſiſtentibus Nobilibus Cubicularijs; qui & Principi fercula in manus tradunt ab ipſo menſæ inferenda; quæ ſingulatim appoſita, ſtatim atque Regiâ ſuâ manu iterùm illa ſuſtulerit, à Condimentorum ſtructore mantili præcincto, ac in genua prouoluto, in ciſtas capaciores reponuntur, quas pauperum quiſque, vt antè retulimus, à tergo habet. Atque ad vltimum, eorum quilibet donatur à Principe eleëmoſynâ florenorum trium in crumenulâ, cum panno, & lineâ ſupellectile. Religioſæ huic ceræmoniæ ac prorſus inſigni, quæ ſacro Cœnæ Dominicæ die ſolemni ritu in Aulâ Bruxellenſi à Principibus Auſtriacis obiri conſueuit, ſpectatores multi aduolant, & confluunt vndequaque; atque adeò non pauci illorum tredecim egenorum inuident eo die ſortem, quibus ritè ad id conuocatis, vt antè oſtendimus, propter perſonam quam gerunt, omnia ſpectandi cominus facultas datur. *Mandatum* vocant, quòd in ipſo actu Lotionis pedum cantus incipiat ab Antiphonâ, *Mandatum nouum do vobis*. Huius certè ſæculi anno primo,

vt

vt Pontificem Romæ pari officio in Cœna Domini pauperibus miniſtrantem, ſimulque in eâdem Aulâ diſcumbentem contuerentur Nicolaus Claudius Peireskius & Valeueſius frater, vices redemêre duorum pauperum, veſtibuſque eorum aſſumtis adfuêre inter cæteros; & agniti licet à Pontifice, ipſo tamen rem placidè diſſimulante, omnia ſpectarunt. Gaſſendus in eius Vitâ:

Iuuat ritum noſtratem ex Diario ſacrarum Cæremoniarum Regiæ Capellæ Bruxellenſis annectere, præmiſſo altero eiuſdem argumenti, ab Sereniſſimâ Iſabellâ quotannis vſurpato Deiparæ Annuntiatæ Feſto die.

XXV. Martij ANNVNTIATIO B. VIRGINIS.

Hodie poſt Miſſæ vel Veſperarum Officium, ob particularem deuotionem conſueuit Sereniſſima Infans, vnà cum Nobilibus ſuæ Cameræ, prandium nouem feminis pauperibus miniſtrare, quibus largam liberali ſuâ manu eleëmoſynam elargiri, pecuniam ſcilicet & neceſſaria pro indumento, ſolet. Menſam benedicit ſupremus Capellæ Sacellanus cum duobus Oratorij Sacellanis (niſi adſit Pontifex;) cui etiam aſſiſtunt, antequam cibus apponatur, & pauperes lauent manus, aquam & toballiam Sereniſſimâ Infante miniſtrante. Et poſt cibi in ciſtâ repoſitionem (quem non guſtant) & manuum lotionem, omnibus ſurgentibus ſimiliter Deo gratias agunt (quia ad illas omnes ſtare debent) menſam ipſi benedicentes.

De Mandato ſeu Officio Feriæ V. in Cœnâ Domini Pontificaliter agendo, quod horâ octauâ inchoari ſolet. *Depoſitis à Pontifice & miniſtris paramentis, denudato Altari, & Veſperis finitis, in quibus ipſe Pontifex poſt* Magnificat *repetitâ Antiphonâ, dictis Precibus, genu flexus, & ſtans dictâ Oratione,* Reſpice quæſumus Domine; *itur proceſſionaliter ad Mandatum faciendum, cantandumque Euan-*

gelium in duabus cameris, vbi pauperum pedes lauantur, & prandium pro eis paratum eſt. Et primò itur ad cameram vbi Sereniſſimus Princeps lauat tredecim pauperum pedes, eiſque prandium miniſtrat hoc ordine. Præcedit Thuriferarius cum thuribulo & nauiculâ, ſequitur Subdiaconus portans Crucem inter duos Acolythos ceroferarios, deinde Diaconus indutus albâ dalmaticâ portans librum pro cantando Euangelio, in medio inter omnes Capellanos ſuperpellicijs indutos Crucem comitantes, & ſequentes vſque ad locum paratum.

Poſtquam ad eum ventum eſt, ordinatis omnibus benedicitur Incenſum à Pontifice ſtatim tempore opportuno, more ſolito; & Diaconus petit benedictionem ab ipſo ſi adſit, ſin autem, à digniori ex Clero; quâ acceptâ, poſito libro ſuper pulpitum, manè ante Miſſam paratum, panno albo ſerico coopertum, cantat Euangelium, Ante diem Feſtum Paſchæ; *ſeruatis debitis ceremonijs, ſignando librum & ſe, & incenſando vt in Miſſâ; non tamen in fine defertur liber deoſculandus. Finito Euangelio, pauperes lotis pedibus aſſident menſæ ad manducandum; quam benedicit ſupremus Sacellanus, niſi adſit Pontifex, adiuuantibus duobus Sacellanis, antequam miniſtretur eis aqua pro lauandis manibus, vt in Ordinario habetur verſiculo,* Chriſtus factus eſt pro nobis obediens. *At ſi vterque abeſt, menſam benedicunt duo Oratorij Sacellani, & vnus alius inter manducandum clarâ & intelligibili voce legere ſolet aliquid huic actioni conueniens.*

Finito prandio, lotis manibus, remotis menſis, & ſurgentibus ſtantibuſque pauperibus, Sacellani menſam benedicentes, niſi adſit Primarius, vel Pontifex, vt in Ordinario habetur, agunt gratias abſque recitatione Pſalmi, Miſerere, *cum oratione,* Reſpice quæſumus Domine.

Cantato

Cantato Euangelio, dum Sereniſſimus Princeps incipit pauperibus miniſtrare, itur proceſſionaliter ad illud cantandum in camerâ vbi Sereniſſima Domina Infans vni puero & duodecim pauperibus prandium etiam miniſtrat; quorum menſam benedicit Pontifex qui Miſſam celebrauit, vt habetur in Ordinario, & dictum eſt paulò ſuperiùs, aſſiſtentibus duobus Sacellanis.

Poſt gratiarum actionem, finito prandio, cantatur Euangelium, eiſdem ſeruatis ceremonijs ſuperiùs relatis: (interim tamen Sereniſſima Domina Infans tempore opportuno pueri lauat pedes:) quo cantato redeunt Sacellani proceſſionaliter ad ſacellum eo quo iuerunt ordine, & depoſitis paramentis omnes recedunt in pace, præter duos illos quos contingit permanere & orare genu flexos ante Sepulchrum, deuotè comitantes Venerabile Sacramentum per ſpatium vnius vel duarum horarum. Et aduertat Ceremoniarum Magiſter aſſignandos ab horâ repoſitionis vſque in craſtinum ex Sacellanis, qui ſtatutis ſibi horis orantes ibi maneant.

Neque nouus is eſt in Brabantiâ Burgundionum Principum ritus; de Philippo ſiquidem Burgundo Brabantiæ Duce, cùm in arce Louanienſi animam propè exhalaturus eſſet, iamque omnibus Eccleſiæ Sacramentis munitus, *Mandauit*, inquit Dinterus, *Ioanni Domino de Rotſelaer, Vorſſelaer, & Rethy, vt ſuo nomine faceret Mandatum vt moris eſt, ſcilicet lauando pedes & abſtergendo tredecim pauperum; ipſiſque cibaria miniſtraret, & more ſolito pecuniam charitatiuè exhiberet.*

Solent prætereà Principes Auſtriaci quotannis, in ſuo quiſque Natali die, tot nummos aureos, ſericâ inſtitâ circumligatos & flori inſcitos, poſt patenæ oſculum, Capellano priuatim Sacris operanti offerre, quot annos

gelium in duabus cameris, vbi pauperum pedes lauantur, & prandium pro eis paratum eſt. Et primò itur ad cameram vbi Sereniſſimus Princeps lauat tredecim pauperum pedes, eiſque prandium miniſtrat hoc ordine. Præcedit Thuriferarius cum thuribulo & nauiculâ, ſequitur Subdiaconus portans Crucem inter duos Acolythos ceroferarios, deinde Diaconus indutus albâ dalmaticâ portans librum pro cantando Euangelio, in medio inter omnes Capellanos ſuperpellicijs indutos Crucem comitantes, & ſequentes vſque ad locum paratum.

Poſtquam ad eum ventum eſt, ordinatis omnibus benedicitur Incenſum à Pontifice ſtatim tempore opportuno, more ſolito; & Diaconus petit benedictionem ab ipſo ſi adſit, ſin autem, à digniori ex Clero; quâ acceptâ, poſito libro ſuper pulpitum, manè ante Miſſam paratum, panno albo ſerico coopertum, cantat Euangelium, Ante diem Feſtum Paſchæ; *ſeruatis debitis ceremonijs, ſignando librum & ſe, & incenſando vt in Miſsâ; non tamen in fine defertur liber deoſculandus. Finito Euangelio, pauperes lotis pedibus aſſident menſæ ad manducandum; quam benedicit ſupremus Sacellanus, niſi adſit Pontifex, adiuuantibus duobus Sacellanis, antequam miniſtretur eis aqua pro lauandis manibus, vt in Ordinario habetur verſiculo,* Chriſtus factus eſt pro nobis obediens. *At ſi vterque abeſt, menſam benedicunt duo Oratorij Sacellani, & vnus alius inter manducandum clarâ & intelligibili voce legere ſolet aliquid huic actioni conueniens.*

Finito prandio, lotis manibus, remotis menſis, & ſurgentibus ſtantibuſque pauperibus, Sacellani menſam benedicentes, niſi adſit Primarius, vel Pontifex, vt in Ordinario habetur, agunt gratias abſque recitatione Pſalmi, Miſerere, *cum oratione,* Reſpice quæſumus Domine.

Cantato

Digitized by Google

Cantato Euangelio, dum Sereniſſimus Princeps incipit pauperibus miniſtrare, itur proceſſionaliter ad illud cantandum in camerâ vbi Sereniſſima Domina Infans vni puero & duodecim pauperibus prandium etiam miniſtrat; quorum menſam benedicit Pontifex qui Miſſam celebrauit, vt habetur in Ordinario, & dictum eſt paulò ſuperiùs, aſſiſtentibus duobus Sacellanis.

Poſt gratiarum actionem, finito prandio, cantatur Euangelium, eiſdem ſeruatis ceremonijs ſuperiùs relatis: (interim tamen Sereniſſima Domina Infans tempore opportuno pueri lauat pedes:) quo cantato redeunt Sacellani proceſſionaliter ad ſacellum eo quo iuerunt ordine, & depoſitis paramentis omnes recedunt in pace, præter duos illos quos contingit permanere & orare genu flexos ante Sepulchrum, deuotè comitantes Venerabile Sacramentum per ſpatium vnius vel duarum horarum. Et aduertat Ceremoniarum Magiſter aſſignandos ab horâ repoſitionis vſque in craſtinum ex Sacellanis, qui ſtatutis ſibi horis orantes ibi maneant.

Neque nouus is eſt in Brabantiâ Burgundionum Principum ritus; de Philippo ſiquidem Burgundo Brabantiæ Duce, cùm in arce Louanienſi animam propè exhalaturus eſſet, iamque omnibus Eccleſiæ Sacramentis munitus, *Mandauit*, inquit Dinterus, *Ioanni Domino de Rotſelaer, Vorſſelaer, & Rethy, vt ſuo nomine faceret Mandatum vt moris eſt, ſcilicet lauando pedes & abſtergendo tredecim pauperum; ipſiſque cibaria miniſtraret, & more ſolito pecuniam charitatiuè exhiberet.*

Solent prætereà Principes Auſtriaci quotannis, in ſuo quiſque Natali die, tot nummos aureos, ſericâ inſtitâ circumligatos & flori inſertos, poſt patenæ oſculum, Capellano priuatim Sacris operanti offerre, quot annos

peregerint, vno addito, quaſi ſubſequentis anni arrhabone: atque hos in ærario Capellæ reponendos tradit Turturetus: verùm ſecùs obtinuit Alberto, Iſabellâ & Ferdinando Principibus; tum enim ad Maioris Eleëmoſynarij arbitrium dono dabantur aliquot Capellano qui ad Aram coram Principe fecerat, cæteris de more in pauperum Monialium ſubſidium erogandis, vt vota ſuſciperent pro incolumitate Principis, quâ publica ſalus continetur.

In Notis ad Sacelli Regij cap. 4.

Patinam, eiuſmodi Cæremoniæ adhibitam, & Sereniſſimæ Iſabellæ oſculis multoties conſecratam, vnà cum Calice ablutionis, quo etiam ipſa & Albertus vtebantur ſumto ſub Sacrum Euchariſtiæ Sacramento, pretioſiſſimi pignoris loco habuit, & ſeruat etiamnum apud ſe Philippus Chifletius Abbas Balernenſis, additis inſcriptionibus; quarum altera:

PIISSIMÆ PRINCIPIS
ISABELLÆ CLARÆ EVGENIÆ
OSCVLIS
HÆC PATINA PRETIOSA EST,
TOTIES VELVT CONSECRATA,
QVOTIES DIE SVO NATALI
ANNOS DEO ET S. CLARÆ OFFERENS,
TOTIDEM NVMMOS AVREOS
ELARGIRI SOLITA EST.

Altera

Altera verò Calici item inſculpta:

CALIX ABLVTIONIS,

PIETATE

SERENISSIMORVM PRINCIPVM

ALBERTI ET ISABELLÆ CL. EVG.

ARCHIDVCVM AVSTRIÆ,

SACRAM STATIS DIEBVS HOSTIAM

SVMENTIVM,

SANCTVS AC PRETIOSVS.

Cùm Ædem aliquam, vel Parochialem, vel Religioſam adeunt Principes noſtri, more iam pridem vſurpato, ac laudabili conſuetudine ſolent eleëmoſynam largiri loci Quæſtoribus; qui ſub Officium cortinam accedunt, & exhibitâ Altari ac Principi reuerentiâ, proximè adſtanti Eleëmoſynario ſe obuertunt, à quo ſinguli lautâ eleëmoſynâ donantur, populo piam Principis largitionem venerabundo, hilarique animo accipiente.

Hæc de munere Eleëmoſynariorum. De attributis eorumdem, quia varia fuerunt, pauca hæc adnecto: Primùm, *Eleëmoſynarios* ſimpliciter vocatos iam dixi; qui autem cum ipſis eaſdem inibant eleëmoſynarum & Capellæ curas, *Alteri Eleëmoſynarij* dicebantur; ijque interdum plures, cùm per vices & ſemeſtria miniſtrarent. *Eleëmoſynarius* deinde *Maior* dici cœpit anno M. D. V. Philippo I. regnante; nemo quod ſciuerim priùs. Neque IV.

Digitized by Google

ante annum M. D. XI. *Primi Eleëmoſynarij* mentio fit: fit autem *Summi* & *Primi* ſimul, iunctis honorum titulis, ſexennio pòſt, Pacenſi Epiſcopo id muneris primùm adepto: ſicut in Aulâ Caroli V. idem quandoque fuiſſe legitur *Summus* & *Primus Oeconomus*: qui tituli ab Oliuario Marcano anno M. CCCC. XCIII. & à Claudio Bouton, Domino de Corbaron, viro Illuſtri, fuêre vſurpati.

V. At his de Regum miniſterio à me prolatis, lubet quoque in Auguſtarum & Reginarum Catholicarum gratiam Peyratij ſententiam refutare; qui perinde quaſi Eleëmoſynarium ſuum Maiorem minimè haberent, Reginas Chriſtianiſſimas, quæ ſuum habent ampliori dignitate, fulgere tradidit. Ecce enim munus à Philippo II. deſcriptum in ordine ſiue Inſtitutione domus Reginæ Annæ quartæ Coniugis eius, Maximiliani II. Cæſaris filiæ; & à Philippo III. in Statutis familiæ Reginæ Margaretæ vxoris eius, Matris Philippi IV. Regis; vt taceam de Hiſpaniarum Infantibus, quibus aſſignatos fuiſſe Maiores Eleëmoſynarios, ex eorum ſubijciendâ mox ſerie plus ſatis conſtat.

Eleëmoſynarius Maior Reginæ tenebitur partiri & elargiri manu ſuâ eleëmoſynam ordinariam perſonis, in quibus concurrent æquiores cauſæ quæ ad hoc requiruntur; ſuper quo illius conſcientiam ſtrictè oneramus. Vt autem hoc ipſum vti decet peragatur, inſtructionem ab Eleëmoſynario meo accipiet, & à Parochis, vbinam eiuſmodi perſonæ reperiantur, & à quibus ipſi videbitur, non ſolùm de illis, verùm etiam de cæteris quæ ad maiorem eius notitiam conducent. Et in eo quod ſpectat ad eleëmoſynam illius extraordinariam, quam dari Regina iuſſerit, eam ſupremo Oeconomo communicet.

Prædictus

Prædictus Eleëmoſynarius Maior Magiſtri munus apud Infantes implebit; ac proinde dabit illis ſedulò lectionem tam manè quàm veſperi, horis quæ ipſi deſignabuntur, præſente ſemper earumdem Ayâ (Hiſpanico verbo vti liceat, quod *morum Moderatricem* ſignificat) *& eâ abſente, aut impeditâ, alterâ quæ illius vice miniſtrabit.*

Habuêre tamen aliæ Sacra ferè cum viris communia, maximè cùm adſunt Reges; non ita verò ſi abſint. Vti MARIA-ANNA AVGVSTA, multorum Romanorum Imperatorum ſoboles, & Regum maximi auſpicatiſſima coniux; cui nuper ab Eleëmoſynis fuit in Hiſpanico itinere D. Hieronymus Maſcareñas Lerienſis Electus, & Regiæ Cortinæ Præfectus.

Eorum porrò nomina in hac ipsâ ſerie (quemadmodum & Regum ac Principum, qui res in hoc Belgio moderati ſunt, occurrent) ſumto vt hactenus à Philippi Boni temporibus initio, ſubiungam. VI.

FORTIGARIVS DE PLACENTIA, Brugenſis, Philippi Boni Burgundiæ & Brabantiæ Ducis Eleëmoſynarius, anno M. CCCC. XXXVII. eiuſdem poſteà Protocapellanus, vti ſuprà iam dictum. Habuit *Matthæum Brakelium*, alterum Eleëmoſynarium, virum nobili ſatu, & S. Mariæ Brugenſis Præpoſitum; cùm ſub idem tempus Iſabellæ Luſitanicæ, Philippi Coniugi, *Edmundus le Monſnier* eſſet ab Eleëmoſynis. Conſt. Palatinæ. Sanderus Tomo. 1. Flandriæ illuſtr.

INNOCENTIVS DE CRECY, Carolo Burgundiæ Duci, Philippi filio, à Conſilijs & Eleëmoſynis fuit anno M. CCCC. LXXIV. quo in eius gratiam à Sixto Papâ IV. petijt Princeps Præpoſituram, Decanatum, aut aliam quampiam intra ditiones ſuas dignitatem, ac præcipuè Archidiaconatum Antuerpienſem. Inſtructio M.S. Legationis ad Sixtū IV.

Duo

Digitized by Google

Duo alij Eleëmoſynarij ſemeſtres *Magiſter Iacobus* & *Ioannes le Valeur*.

Palatinæ Conſt.

IOANNES FRICOT, Mariæ Burgundicæ orbæ & innuptæ, ſtatim poſt Caroli fata, anno M.CCCC.LXXVII. datus, de conſilio Procerum, Eleëmoſynarius.

IOANNES MAGINVS, per idem tempus Secundus Eleëmoſynarius: & qui vices eius ſuppleret, *Iſambertus de Bru*.

Ibidem, & apud Sanderum in Flandriâ illuſtratâ.

LVDOVICVS DE VEYRE, Sequanus, S. Mariæ Brugenſis Præpoſitus, Eleëmoſynarius Philippi I. Auſtriæ Archiducis, anno M. CCCC. XCV. qui & habuit duos alios Eleëmoſynarios per ſemeſtria miniſtrantes, *Ioannem de Hames* & *Ioannem Barradot*. Exinde idem Ludouicus eiuſdem Philippi I. Hiſpaniæ Sceptra moderantis fuit Eleëmoſynarius Maior, anno M. D. V. Agnatus autem erat is Philiberti de Veyre, Philippi item Primi & Caroli Hiſpaniæ Regum Supremi Oeconomi, & Equitis Ordinis Velleris aurei.

α Conſt. Palatinæ. β Ibidem. γ Ibidem. δ Ægidius Gonçalez d'Auila in Theatro Eccleſiar. Cathed. Hiſpan. Tom. 1. Sãdouall. in Hiſt. Caroli V. lib. 3. §. 2. & ſeqq. Ioannes de Vandeneſſe libro infrà citato, anno M.D.XXII.

α ROBERTVS ROBINS, per idem tempus Secundus Eleëmoſynarius, qui & Oratorij Sommelerius erat.

β IOANNES GALARETA Hiſpanus, Ioannæ Philippi Primi coniugis à Conſilijs & Eleëmoſynis, quando in Belgium ſecundo Oceano aduecta eſt.

γ PETRVS RVIZ DE LA MOTA, nobili apud Burgenſes in Hiſpaniâ domo natus, Theologus inſignis, & Caroli ante adeptum Imperium Magiſter, in Belgio per annos aliquot fuit, & anno M. D. XI. δ Primus Eleëmoſynarius, cùm & alij tres Eleëmoſynarij eſſent *Nicolaus Mayolus*, & *Ioannes de Courteuille*; quorum alter duobus primis menſibus, alter ſubſequentibus quatuor muneri ſuo vacabat; ſex alijs *Roberto Robins* deputatis.

Idem

Idem poſteà Ruizius anno M. D. XVII. iam tum Pacenſis Epiſcopus, Carolo in Hiſpaniam profecturo, *Magnus & Primus Eleëmoſynarius* creatus fuit, dato *Philippo Numan* Secundo Eleëmoſynario. Hinc à Conſilio Status, & magnarum rerum particeps, demum Epiſcopus Palentinus renuntiatus. Obijt Reynoſæ, electus S.R.E. Cardinalis, & Archiepiſcopus Toletanus, anno M. D. XXII.

α GVILIELMVS DE VANDENESSE Sequanus, primùm ſub Carolo Principe, anno M. D. VI. Capellæ Clericus; deinde quinquennio pòſt iam Sacerdos, binis Oratorij Præfectis ob raram modeſtiam, ſingulari decreto Principis, qui & eius meminit, tertius adiunctus eſt. Renuntiatus & in Minori Sacello Capellanus anno M. D. XXI. ſequenti verò Epiſcopatum Elnenſem in Ruſcinonenſi Comitatu ab eodem conſecutus eſt; & mox XXIV. eius ſæculi anno, ſublato è viuis Palentino Epiſcopo, in ſupremum Eleëmoſynarium aſſumtus. Tranſlatus deinde ad Caurienſem quadriennio pòſt, ſummis honoribus perfunctus, Grayaci in patriâ diem obijt anno M. D. XXX. decimo Kalendas Iunias, β cùm è Bononienſi Caroli V. inauguratione, de eiuſdem Principis veniâ ad agnatos amicoſque paulum diuertiſſet. Iacet in Æde Parochiali ad ſummæ Aræ latus, tumulo conditus pereleganti.

α Conſt. Palatinæ. Diarium M. S. Ioan. de Vandeneſſe, huius Guilielmi fratris, de Vitâ Caroli V. anno M. D. XXIV.

β Cornelius Agrippa in Deſcriptione eiuſdem Inaugurationis.

γ STEPHANVS GABRIEL MERINVS, Hiſpanus, natus in oppido Sancti Stephani de Portu, Archiepiſcopus Barenſis & Indiarum Patriarcha, Guilielmo Vandeneſſio, Caurienſi Epiſcopo, in Eleëmoſynarij Maioris munere ſuffectus fuit Bruxellis anno M. D. XXXII. die Ianuarij XVII. iam tum etiam electus Giennenſis

γ Ciaconius de Vitis Pontificum & Cardinalium in Clemente VII.

H Epi-

Digitized by Google

Vandeneſſius in Diariò M.S. Vitæ Caroli V.

Epiſcopus. Verùm exiguo admodum tempore hac dignitate Aulicâ potitus, ſub initium ſequentis anni, quo Bononiæ vnà cum Imperatore verſabatur, S.R.E. Cardinalis tit. S. Vitalis fuit renuntiatus.

Ægidius Gonçalez d'Auila in Theatro Eccleſiar. Hiſpan. de Epiſcopo Gienn. Tom. I.

LVDOVICVS BLOSIVS, natalium ſplendore atque omnibus ſanctimoniæ notis illuſtris, primùm Caroli Principis, poſteà Cæſaris eius nominis V. nobilis Ephebus; deinde diuino conſilio Aulæ renuntians, Abbas Lætienſis factus, tantus euaſit, vt labentis religioſæ diſciplinæ fuerit inter ſuos celeberrimus inſtaurator; cuius Opera Diuinæ Sophiæ fœcundiſſima, quòd dignitate quadam inter Aſceticos ſcriptores aſſurgerent, Antonius Winghius Lætienſium Abbas pleno volumine Typis Plantinianis edenda curauit anno M. DC. XXXII. De illo Auctor Anonymus, ſed æqualis, ſcripta reliquit hæc ipſiſſima verba: *Cæſari ab Eleëmoſynis fuit, à quo acceptum munere honorario craterem inauratum, benignè donauit Eccleſiæ Chimacenſi, miſerè à Gallis expilatæ, atque adeò exuſtæ.* Quod & obiter notatum ab Auctore eius vitæ, quæ iam ſæpiùs typis vulgata eſt, & ab Auberto Miræo in Elogijs Belgicis. Ex Aulâ Philippi II. Regis prodijt & Michaël d'Eſne, gente admodum nobili, & Bethencuriæ Toparcha; qui cùm inter honorarios eius Ephebos aliquamdiu egiſſet, ſtudio virtutis ac vitæ quietioris gratiâ, vti Bloſius ad Monaſticam, ita ille ad Clericalem diſciplinam animum adiecit; eiuſque inculpati ſemper mores, & notus iam inde à pueritiâ Regi animus, in Deum, Religionem ac Principem amor, in aduerſis tolerandis conſtantia, non leuis variæ doctrinæ copia effecêre, vt Inſulis Tornacenſibus donaretur anno M. D. XCVI.

Extat M. S. Lætijs.

Anno M. D. LII.

Buzelinus parte alterâ Annal. Gallo-Flandriæ.

ODOARDVS

Digitized by Google

Odoardvs de Bersaqves, ortu generoſo ac nobili, iam anno M. D. XXI. Sacelli minoris Capellanus, Carolo V. Imp. in varijs & magni momenti negotijs gnaram nauauit operam; quocircà ſupremus Eleëmoſynarius creatus, & inſignis Eccleſiæ Collegiatæ Sancti Audomari Præpoſitus, adeoque teſtamenti Cæſaris ipſius executor eligi ac deſignari meruit. Iacet in Æde Beati Iacobi Frigidi Montis Bruxellæ ante ipſum ſacrarij limen, vbi ſepulchrum ſibi elegit moriens, anno M. D. LVII. die XV. Febr.

Waleranvs de Hangovart, Nobilis Flander, ex liberis Baronibus de Geldronck in Miſniâ, Canonicus & Decanus Eccleſiæ S. Petri Inſulenſis, Præpoſitus S. Bartholomæi Bethunienſis, & S. Amati Duacenſis, atque Vniuerſitatis iſthic recèns erectæ Primus Cancellarius, Caroli V. Imp. & Philippi II. eius filij Secundus Eleëmoſynarius, ſecutus comitiuam eiuſdem Caroli Cæſaris per profectiones Germanicas, Italicas, Hiſpanicas, atque etiam Africanas. Obijt XIX. Ianuarij M. D. LXVII. Sepultus in Æde Collegiatâ S. Petri Inſulenſis, in quâ Anniuerſarium emortuale Principi atque Imperatori ſuo Carolo dudum iam fundauerat. Fratrem habuit Guilielmum de Hangoüart, Dominum de Pietres, Præſidem Arteſiæ, varijs Legationibus nobilem. Extat vtriuſque magnâ cum laude mentio apud Buzelinum primâ atque alterâ parte Gallo-Flandriæ.

Lvpercivs de Qviñones, Philippi II. Regis Eleëmoſynarius Maior, anno M. D. LVIII. de quo infrà in Serie Præfectorum Cortinæ.

a Gvilielmvs de Pictavia, Caroli de Pictauiâ, Baronis Vadani, & Ioannæ Carondeletæ filius, Mariæ

a Conſt. Palatinæ. Cheſnæus in Genealogiâ Familiæ Pictau. & Comitum de Valentin.

Digitized by Google

Reginæ Hungariæ à Conſilijs & Eleëmoſynis, vir magnæ ſanctimoniæ & rerum gerendarum egregiè peritus. Præpoſiturâ Furnenſi, & Campiniæ Archidiaconatu in Eccleſiâ Leodienſi clarus; ſed Infulis Morinenſibus & Leodienſibus, quas renuit, clarior; etiam ad Synodum Tridentinam Regio nomine Legatus.

Index PP. Concilij Tridētini.

IOANNES SOVQVENET, Secundus Eleëmoſynarius.

Fertur & quidam IOANNES DE BEHEM, vir nobilis, eâdem Reginâ ſuperſtite, Maioris Eleëmoſynarij geſſiſſe munus.

In priuatis Commentarijs.

IOANNES MOLINÆVS Gandenſis, Iurium Doctor & Profeſſor, Sancti Petri Louanij Decanus, Margaretæ Auſtriacæ Parmenſi Duci, cùm Belgjum adminiſtraret, ab Eleëmoſynis. Obijt ex Italiâ redux Louanij anno M. D. LXXV. XXIX. Septembris.

Valerius Andreas in Bibliothecâ Belgicâ.

SIMON WARLVSET, Nobilis Attrebas, primùm Monachus Vedaſtinus, deinde inclyti eiuſdē Aſceterij Theſaurarius, ac poſteà anno M. D. LIX. Gerardimontanus Abbas, Farneſio Belgium moderante eiuſdem ſummus Eleëmoſynarius, ac demum Eenhamenſis Cœnobiarcha, cùm ſub idem tempus PETRVS PACHECVS, Magni Eleëmoſynarij munere inſignis, in Aulâ Hiſpanicâ miniſtraret.

Benedictus Ruteau in Chronico Monaſterij Gerardim. ad calcem Vitæ SS. Adriani & Nataliæ, Conſt. Palatinæ.

PETRVS DE ALARCON, Nobilis Hiſpanus, Sereniſſimi Alberti Archiducis, tunc S. R. E. Cardinalis, Eleëmoſynarius Maior, anno M. D. XCV. & è Camerarijs vnus: ſenos enim habuit, *Georgium Auſtriacum* (quem perperàm ipſi ab Eleëmoſynis fuiſſe ſcripſit Vernulæus) *Alarconium*, *Petrum Corteſium*, *Ioannem Torreſium*, & *Franciſcum Acuñam*; quibus adſcriptus etiam legitur

Academiæ Louanięſ. cap. 7.

PETRVS

Petrvs Toletanvs, Eleëmoſynarius Maior, & Archicapellanus; de quo iam ſuprà Cap. vi.

Carolvs Masivs I. C. Decanus Eccleſiæ Cathedralis Antuerpienſis, Iacobi in ſupremâ Brabantiæ Curiâ Senatoris filius; Engelberti, ſanctioris in Belgio Conſilij Præſidis frater, Eleëmoſynarius Maior Alberti, anno M. DC. III. Primùm Iprenſis, deinde Gandauenſis Epiſcopus; cui ſucceſſit IX. Iunij M. DC. VII.

Raiſſius in Belgicâ Christianâ.

Franciscvs a Rya, de quo ſuprà Cap. vi. vbi de Archicapellanis, & infrà Cap. viii. de Præfectis Oratorij.

Emanvel de Gvzman, Marchionis de los Palacios frater, Ferdinandi Hiſpaniarum Infantis Camerarius, poſteà cùm Barcinone ageret anno M. DC. XXXII. Maior illius Eleëmoſynarius creatus eſt; eoque munere perfunctus in Belgio, Cæſareenſi Archiepiſcopo id honoris ipſi vltrò cedente, ſeruatâ ſibi Archicapellani dignitate. Sereniſſimi Principis Ferdinandi latus ſtipauit, cùm vrbes Belgij ſolemni pompâ primùm ingrederetur; eique quotidie in veſtibulo Eccleſiarum miniſtrauit luſtralem aquam, functus vbique officio Capellani Maioris per abſentiam Archiepiſcopi; quem caduca ætas Bruxellâ pedem efferre prohibebat. Cæterùm vbi Guzmanus Bruxellæ è viuis exceſſiſſet anno M. DC. XXXVI. apud Carmelitas Excalceatos ſepultus, datus illi ſucceſſor fuit

Antonivs de Benavides, eiuſdem Ferdinandi Cardinalis, Hiſpaniarum Infantis, Camerarius, & Oratorij Præfectus; vir vti genere, ſic pietate, eruditione ac cæteris animi virtutibus illuſtris: de quo nihil ad laudem excelſius vel dici vel inueniri poſſit, quàm quòd

Digitized by Google

moriens Princeps certum vtique de eo teſtimonium reliquit in vltimis tabulis. ait enim: *Ab Sanctiſſimo Patre Vrbano VIII. Apoſtolicam benedictionem peto, ad illius pedes prouolutus cum eâ quâ par eſt reuerentiâ, atque vti eius filius humillimus. Et quoniam me ſemper amore paterno eſt proſecutus, ſpero fore vt animam meam Deo commendet, proque eâ apud illum intercedat. Eſtque mihi magno ſolatio ſacri eius Conſiſtorij Collegam mori. Cæterùm ſuam Sanctitatem oro, vti dignetur pileum meum conferre D. Antonio de Benauides, Sanctæ Eccleſiæ Toletanæ Canonico, Camerario meo Eccleſiaſtico, & Cortinæ Sommelerio, cum exercitio magni Eleëmoſynarij: tantum enim de eius virtute, charitate, litteris boniſque dotibus confido, vt obligationibus dignitatis eiuſmodi facturum ſatis non dubitem, ſi talis in eum honos conferatur.*

Franciscvs Ioannes de Robles, ex Comitibus de Anappes, Ioannis de Robles, Caſtellaniarum vrbiumque Inſulenſis, Duacenſis atque Orchiacenſis Gubernatoris, ac Mariæ de Liedekercken filius, ſummi Templi Louanienſis Præpoſitus, Academiæ Cancellarius, Priuilegiorumque Conſeruator, ac Regij Xenodochij Mechlinienſis Præfectus, à Sereniſſimo Archiduce Leopoldo Magni Eleëmoſynarij munere donatus anno M. DC. XLVIII. quo etiamnum præclarè fungens, omni ſe Eccleſiaſticâ dignitate digniſſimum præbet.

Philippvs Chifletivs, Nobilis Sequanus, Abbas Balernenſis, eiuſdem Sereniſſimi Archiducis Leopoldi Secundus Eleëmoſynarius; de quo plura non addam, cùm difficile ſit obtinere, ne moleſta videatur oratio de ſuis differentis.

CAPVT

CAPVT VIII.

De Sommelerijs ſeu Præfectis Oratorij, qui demum Sommelerij Cortinæ dicti.

I. *Munus Sommelerij Cortinæ ſecundùm Conſtitutiones Caroli V. deſcribitur.*
II. *Hallucinatur Peyratius in exprimendâ ſignificatione huius nominis.*
III. *Olim haud vſque adeò clarum fuit munus.*
IV. *Cœpit inclareſcere à Caroli V. ad Regna Hiſpaniarum acceſſione.*
V. *Series Sommeleriorum, qui fuerunt ab illo tempore.*

FVERE pridem Miniſtri, penes quos ſupellectilis totius Oratorij cura & ſumma erat; vnde *Sommelerij*, ſeu *Summularij Oratorij* ſunt dicti. Sic verò eorum munus atque officium deſcribit Carolus V. Imp. in Conſtitutionibus Aulicis anni M. D. XLV. *Hebdomadatim*, inquit, *miniſterio ſuo funguntur. Spectat autem ad ipſos cura Horarum & libellorum piorum, ac coronarum Maieſtatis ſuæ; debentque ſciſcitari, quâ horâ Sacrum auditura ſit, vt Capellanum hebdomadarium moneant: denique adſtare Oratorio tenentur, remouendarum & claudendarum Cortinarum cauſâ, quoties Euangelium aut Pax Maieſtati ſuæ ad oſculandum præbetur.* I.

Hinc facile eſt diſcernere quantoperè hallucinatus ſit (verbo ſit venia) vir alioqui doctiſſimus, alibique à me laudatus Peyratius, cùm in ſacros Aulæ Hiſpanicæ ritus & dignitates excurrens, quem Turturetus, Regij Hiſpanici II. Lib. 1. cap. 16.

ſpanici Sacelli illuſtrator, *Præfectum Regiarum Cortinarum* appellat, vertit ipſe, contra Turtureti verborumque ipſius vim & mentem, *Intendant des Tapiſſeries Royales;* quaſi *Periſtromatum Regiorum Cuſtodem*. Sciunt enim etiam è vulgo omnes qui Aulam Principum noſtrorum vel à limine ſalutarunt, huic Periſtromatum Cuſtodi laico, & minimè illuſtri Domeſtico nihil eſſe proprium, quo cum Præfecto Cortinæ contendere poſſit. Sed de hoc Sommelerij munere ſatis, quoniam poſteà in Conſtitutionibus Albertinis idem, ſi vſpiam alibi, optimè deſcribitur.

III. Carolo Burgundionum Duce rerum potiente tres erant, anno nempe M. CCCC. LXXIII. Verùm haud eâ dignitate viri quales poſteà ſub eius nepotibus fuerunt: erant enim tum honeſti quidem, ſed eo loco, vt ſiue ex cognominibus, ſiue ex ordine in Indicibus Familiæ Principis ipſis attributo, non admodum nobili gente nati fuiſſe videantur. *Clerici* quippe *Capellæ* ante eos recenſebantur, neque imparibus multum ſtipendijs gaudebant.

IV. Verùm vbi cultus Hiſpanici maieſtas anno M. D. XVII. ſub Carolo I. tum temporis Rege, poſteà Imperatore nominis V. acceſſit, & ſuus etiam in Capellâ penes Conopeum ſeu Oratorium Principis Sommelerio locus fuit (quod anteà obſeruatum non putem) tum enimuerò maior eorum dignitas eſſe cœpit; & paulatim creſcente æſtimatione eò peruenit, vt in hanc diem nobiliſſimi quique ſint, & Illuſtrium Procerum filij, qui eo munere cohoneſtantur; quia teſte Caſſiodoro, qui & ipſe inſignis fuit Aulicus, *Ex claritate ſeruientium creſcit fama Dominorum.*

Lib. 4. Ep. 3.

Cui

Cui quidem rei, vt maiorem lucem conciliemus hoc loco, placet eorumdem Præfectorum Seriem annectere ab anno quem ſuprà retuli M. D. XVII. tunc enim, tametſi tres adhuc erant, primus gente nobili aſſumtus eſt. Fuit autem V.

SIMON VVRRY, Sequanus Burgundio, Decretorum Doctor, & Eccleſiæ Collegiatæ Dolæ Decanus, qui functurus hoc Oratorij Præfecti munere in itinere Caroli Regis Hiſpaniam verſus, ſui Coadiutorem Decanatus Bernardinum Maranchium habuit. Erant & ab illo ſub idem tempus alij Sommelerij duo, *Guilielmus de Vandeneſſe*, item Sequanus; qui poſteà Eleëmoſynarius Maior ac Epiſcopus; & *Ioannes de Helcbuen*. Conſt. Palatinæ. Archiuum Capituli Dolani.

PETRVS DE LA TROILLIERE anno M. D. XLVII. Sequanus pariter, Protonotarius Apoſtolicus, idemque frater Iacobi de la Troilliere, Equitis Ordinis Militaris D. Iacobi, Caroli V. Imp. Nobilis Cubicularij, & ad Franciſcum I. Francorum Regem Legati pro executione variorum Capitum Tractatuum Madritenſis & Cameracenſis. Mameranus in Catal. Familiæ Caroli V.

LVPERCIVS DE QVIÑONES, S. Iſidori Legionenſis Abbas, Franciſci de Quiñones, tertij Lunæ Comitis ex Mariâ Mendociâ coniuge filius, primùm Philippi II. Hiſpaniæ Principis, vnà cum FRANCISCO HENRIQVEZ (qui tamen antiquior erat) Præfectus Oratorij: poſteà verò, eodem ſub annum M. D. L. defuncto, ſolus id muneris obtinuit ad annum vſque M. D. LVI. cùm ſequentes duo Bergius & Roſymboſius ei adiuncti: & ſimul cum ijs Oratorij, ſeu Cortinæ curam geſſit ad annum M. D. LVIII. quo Philippi, iam Regis, Eleëmoſynarius Maior eſt renuntiatus, vti ſuo loco diximus.

I MAXI-

☞ MAXIMILIANVS A BERGIS, Eccleſiæ Collegiatæ S. Gummari Liræ Decanus, adeptam Oratorij Præfe-ćturam adminiſtrauit anno M. D. LVI. & Philippo Rege in Hiſpaniam reuerſo, Primus Cameracenſium Archiepiſcopus creatus eſt.

FRANCISCVS DE ROSYMBOIS, è Nobili & peranti-quâ apud Gallo-Flandros Familiâ, S. Petri Inſulenſis Præpoſitus, Quiñonio & Bergenſi ſocius additus fuit anno M. D. LVI. Obijt biennio pòſt, XXII. Septembris, vt conſtat ex Epitaphio quod anno M. D. LXXVI. illi in Æde Collegiatâ Inſulenſi poni curauit ſororis filius, Maximilianus de Longueual, Gubernator & Capita-neus vrbis ac ciuitatis Atrebatenſis. De quo etiam Bu-zelinus audiendus parte alterâ Gallo-Flandriæ. ſic enim ait: *Sublatus eſt morte Franciſcus Roſymboſius, magno apud Flandro-Gallos loco natus. Eum Cæſar Carolus Oratorio ſuo præfecerat, & D. Petri Inſulenſis Præpoſiturâ ornauerat. Multa itinera ſuſcepta, obitæque Legationes tam Cæſaris quàm Regis Philippi nomine, auctoritatem famamque ipſi conciliauerant.*

FERDINANDVS HENRIQVEZ, α Almirantij Caſtel-læ, ſibi cognominis, & Mariæ β Gironæ filius, Cathe-dralis Eccleſiæ Salmanticenſis Scholaſticus, & in Tole-tanâ Madritenſis Archidiaconus, Philippi II. Regis Præfectus Oratorij anno M. D. LVIII.

HVMBERTVS DE TVRRE SANCTI QVINTINI, Veſontinus, S. Th. Doctor, & ab huius Diuinæ ſcien-tiæ cognitione *Magiſter Humbertus* vulgò nuncupatus, γ traiecit in Angliam vnà cum Philippo II. Rege, Theo-logi & Concionatoris nomine operam contra hæreti-cos illic daturus, anno M. D. LIV. Eodem Rege paucis pòſt

α Indices Familiæ Regiæ M. S. apud Scribam Palatinum Madriti.
β Ioan. Bapt. de Lauaña in Aduerſarijs Genealogic. M.S. apud Excellentiſſimũ Marchionem de Caſtel-Rodrigo.
γ Itinerarium Principis impreſſum Methymnæ Campi anno M.D. LIV.

póſt annis è Belgio in Hiſpaniam redeunte, anno videlicet M. D. LIX. alter à Ferdinando Henriquez Oratorij Præfectus eſt renuntiatus Auguſti die V. eoque in Hiſpaniâ munere aliquamdiu functus eſt, Collegâ ipſi dato LVDOVICO MANRIQVE anno M. D. LXII. donec tandem reuerſus in Belgium M. D. LXIV. indeque in Patriam, varia geſſit in Republicâ munera, Perilluſtris Eccleſiæ Metropolitanæ Veſontinæ Canonicus, Collegiatæ Sancti Mauritij Salinenſis Præpoſitus, ac in ſupremâ Curiâ Dolanâ Senator Eccleſiaſticus.

FRANCISCVS A RYA, Philiberti Varaxij Comitis & Claudiæ Turnoniæ filius, Decanus Maior Eccleſiæ Metropolitanæ Veſontinæ, Abbas Accincti in Sequanis, & Perſaniæ in agro Perticenſi; ab Ordinibus Liberi Burgundiæ Comitatus ad Sereniſſimos Archiduces Albertum & Iſabellam delegatus anno M. DC. VI. renuntiatur ab iiſdem Oratorij ſeu Cortinæ Præfectus, indeque annis aliquot interiectis Eleëmoſynarius Maior, atque Archicapellanus, vti ſuprà iam dictum.

FRANCISCVS VILLANI DE GANDAVO, ex Comitibus de Iſenghien, Iacobi Philippi Comitis & Odiliæ de Claerhout filius, Raſſengemij Baro, Præpoſitus Eccleſiæ Montenſis in Hannoniâ, deinde S. Petri Inſulenſis, S. Lamberti Leodienſis Canonicus, Oratorij ſub Iſabellâ Infante Præfectus ab anno M. DC. XX. vſque ad annum M. DC. XL. quo Capellanus Maior ab Rege creatus eſt.

ANTONIVS DE BENAVIDES, Franciſci Benauidij, S. Stephani de Portu Comitis ſeptimi, ex Briandâ de Bazan vxore filius, Sanctæ Toletanæ Eccleſiæ Canonicus, Ferdinandi Infantis Camerarius, & Oratorij Præ-

Digitized by Google

fectus, deinde Maioris Eleëmoſynarij munere functus, vti ſuprà retulimus: nunc in Aulâ Catholicâ Regi à Cortinâ & à Conſilio Militarium Ordinum.

Lvdovicvs de Croy, Claudij Rodienſis in Hannoniâ Comitis filius, Præpoſitus Seclinienſis in Arteſiâ, deinde Caſletenſis in Flandriâ, ac poſtremùm Iprenſis Epiſcopus à Rege nominatus anno M. DC. XLVII. quam dignitatem conſecutus, paulò pòſt Gandaui morbo correptus vitâ functus eſt.

Petrvs Ernestvs de Mercy, Lotharingus, Abbas Accincti in Sequanis, Inſignis Eccleſiæ Diui Petri Inſulenſis Præpoſitus, Fiuiarum Prior, Protonotarius Apoſtolicus, Eques Ordinis Alcantaræ, Sereniſſimo Archiduci Leopoldo à Cortinis, Fratrum bello clariſſimorum æmulus in obſequio Auguſtiſſimæ Domus Auſtriacæ.

Carolvs Emanvel de Gorrevod, Marnaci ad Lignonem fluuium in Sequanis Marchio, S. R. I. Princeps, Perilluſtris Eccleſiæ Metropolitanæ Veſontinæ Decanus Maior, ad ſumma quæque natus, eidem Sereniſſimo Archiduci à Cortinis.

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT IX.

De Confeſſarijs Principum, quorum olim haud exigua in Capellam auctoritas.

I. *Primas olim tenebant in Capellâ Confeſſarij, & erant Prælati Curiales.*

II. *Ratio cur ita æſtimati.*

III. *Archicapellani Confeſſariorum auctoritatem eiuſmodi ſibi vindicant ſub Carolo V.*

IV. *Ex quibus Ordinibus Confeſſarij aſſumti.*

V. *Eorumdem Series.*

APVD noſtros, quemadmodùm & apud Francos, tametſi non ſemper, diu certè Confeſſarij Principum primum in cerâ locum obtinuêre; idemque in Belgio fuit moris, quod ſcripſit Peyratius; ſupremam videlicet Capellæ curam penes eum qui Regi Francorum eſſet à Confeſſionibus, à Philippi Auguſti temporibus ad Caroli VIII. ætatem fuiſſe. Ijs quippe maximus ante omnes honor habitus fuit, & eorum plerique Epiſcopali dignitate præditi erant: vnde Oliuarius Marcanus de Familiâ ſeu ſtatu domeſtico Caroli Audacis, *Primùm*, inquit, *in Capellâ ſuâ viros habet quadraginta, comprehenſo Epiſcopo, qui ipſi eſt à Confeſſionibus*. Hinc Remigius de Puteo, iam antè à me laudatus, & Philippo I. Auſtriaco regnante Indiciarius, eoſdem *Prælatos Curiales* vocat; quia per idem tempus nulli fermè, præter Confeſſarios, Palatini Epiſcopi erant.

I.

Hiſtor. Eccleſiaſt. Aulæ Francicæ lib. 1. cap. 54.

Vide ſuprà Cap. VI. & Gollutium in Commẽt. Burgund. lib. 10. cap. 109.

II. Auctoritati eorum, tum maximè, plurimùm tribuebatur, vtpote quorum eſſet, ex Alphonſi Sapientis legibus, *Iudicis, Medici* & *Conſiliarij* perſonam ſuſtinere. Id certò ſcio, in Codice Palatinarum Conſtitutionum Antonij Brabantiæ & Limburgi Ducis, eiuſque vxoris Ioannæ Luxemburgicæ, anno M. CCCC. VI. de ſententiâ Conſilij confecto, in Rubricâ *de Capellá*, qui & Principis & Coniugis confeſſiones excipiebant, primos omnino cenſeri; deinde vnà cum Duce Carolo Burgundione Horas Canonicas legiſſe; ac demum Philippi I. temporibus non in Clericos Palatinos modò, ſed etiam in Protocapellanum ipſum iuriſdictionem exercuiſſe. ſic enim idem Philippus in Capellæ ſuæ Conſtitutionibus: *Planè, ſi prædictus Protocapellanus remiſſus ac negligens fuerit in puniendis & corrigendis dictis Capellanis & ſuppoſitis delinquentibus pro magnitudine errorum ac delictorum; tunc ad Epiſcopum Salubrienſem, Regis Confeſſarium, dictæ punitiones ſpectabunt, tam dictorum Capellanorum & ſuppoſitorum delinquentium, quàm ipſius Protocapellani negligentis, prout caſus requiret.*

Partida 2. tit. 9. l. 3.

III. Eorum autem propria eminens illa dignitas atque auctoritas fuit vſque ad primam Caroli V. tum ſolùm Hiſpaniæ Regis, Familiæ inſtitutionem: è quâ Archicapellanum (nomine tum primùm apud Belgas audito) hanc ipſam, quam Confeſſarij obtinebant, auctoritatem ſibi vindicaſſe conſtat.

IV. Addam & hoc ferè in more Principibus noſtris etiam antiquiſſimis fuiſſe, vt vir peccata ſua apud virum Religioſum ex Dominicanâ, vxor apud alterum ex Franciſcanâ Familiâ deponeret, pari omnino cum Auguſtis Hiſpaniæ Regibus conſuetudine, quam hodieque Reges

Vide ſuprà Cap. VI. n. 11.

&

& Auguſtæ plerumque obſeruant. Fit autem Infantibus cæteriſque Regiæ Familiæ Principibus libertas è vario cœtu ſibi viros deligendi; atque ex Ordine quolibet, vti è Societate IESV nonnullos, alios Eremitas Auguſtinianos, alios denique Carmelitas Excalceatos Tereſianæ reformationis aſſumi in hoc Belgio vidimus.

Turturetus in Notis ad cap. 6.

Quæ quidem omnino haudquaquam magis comperta, quàm ex eorumdem Confeſſariorum adiectâ Serie eſſe poſſunt, ſumtis à Ioanne Intrepido initijs. V.

α MARTINVS POIRE' Dominicanus, Ioannis Audacis Burgundiæ Ducis à Sacris Confeſſionibus, & ad Concilium Conſtantienſe Legatus, poſteà Epiſcopus Atrebatenſis. Obijt anno M. CCCC. XXVI.

α Gazæus in Hiſt. Eccl. Belgij. Buzelinus parte alterâ Gallo-Fland.

β LAVRENTIVS PINON Dominicanus, Epiſcopus Autiſſiodorenſis, Philippo Bono Burgundiæ Duci à Confeſſionibus, eiuſque ad Synodum Baſileenſem Legatus anno M. CCCC. XXXIII. Comitijs Atrebatenſibus interfuit anno M. CCCC. XXXV. & in ijs nonnullorum, qui Paci ibidem initæ primùm ſubſcribere renuerant, ſacramenta excepit.

β Antonius Tauernius in Deſcriptione M.S. Congreſſus Atrebat.

γ SIMON, Epiſcopus Salubrienſis, Carolo Audaci Burgundiæ & Brabantiæ Duci à Confeſſionibus anno M. CCCC. LXXIII. dixit in funere Mariæ, Caroli filiæ, anno M. CCCC. LXXXII.

γ Sanderus Tom. I. Flandriæ illuſtr. pag. 239.

δ ENGVERRANDVS SVGNARD S. Theol. Doctor, Carolo Audaci à Confeſſionibus, Epiſcopus Autiſſiodorenſis. Obijt anno M. CCCC. XCV. die XXII. Martij. Sepultus Pariſijs in D. Dominici, cuius Ordinem profeſſus fuerat.

δ Iacob. du Breul in Theatro Antiquit. Pariſienſ. lib. 2.

OVDOTVS LE ROY S. T. D. eidem Carolo à Sacris Confeſſionibus M. CCCC. LXXVI.

IOANNES

Ioannes le Parmentier S. T. Doctor, pro Carolo Burgundiæ Duce Legatione functus cum alijs magni nominis viris ad Sixtum IV. Papam anno M.CCCC.LXXIV. poſteà fuit à Confeſſionibus & Conſilijs Mariæ Belgarum & Burgundionum Principi anno M. CCCC. LXXXI. & in eius conſpectu ipſa animam efflauit.

Buzelinus 2. Parte Annal. Gallo-Flandriæ. Val. Andreas in Bibliot. Belg.

Michael Francisci, Dominicanæ Religionis clariſſimum lumen. Is Inſulæ natus, & in hanc Familiam adſcitus, breuî eam Theologicæ ſapientiæ vim hauſerat, vt Doctor renuntiatus è pulpito Coloniæ alios imbueret. Enituit eius in Roſarij Mariani laudes ſtudium, edito in lucem Commentario, quo naturam eius vimque diffuſiùs ac diſertiſſimis verbis explicuit. Profuitque multum perducendis ad virtutem animis compoſito libello cui *Clauis Cellarij diuinæ & humanæ ſapientiæ* titulum indidit. Cùm igitur eius latè fama ſpargeretur, placuit ipſum Archiduci Philippo admouere, vt mentem eius tam bonis moribus quàm litteris excoleret. Inde ſenſim ab eo Conſiliorum participationi, & animo per Confeſſionem expiando adhibitus, inſigni libro mores Aulicorum vitiaque perſtrinxit, cumque Philippo inſcripſit. Et non multò pòſt Selybrienſis Epiſcopus deſignatus eſt, & Attrebatium Antiſtitis Suffraganeus. Obijt Inſulis II. Iunij, anno M. D. II.

Lib. 3. Hiſtor. S. Gertrudis.

Philippvs Lampierre, natus oppido Niuellenſi in Brabantiâ, vnde cognominatus in Palatinis Conſtitutionibus *Ioannes de Niuellâ*, Epiſcopus Selybrienſis, Philippo I. Caſtellæ Regi à Conſilijs & Confeſſionibus anno M. D. IV. & M. D. V. cui etiam adfuit Burgis morienti XXV. Septembris M. D. VI. atque in eius obſequijs perorauit anno M. D. VII.

Thomas

Digitized by Google

THOMAS DE MATHIOSA, Ioannæ Caſtellæ Reginæ à Confeſſionibus, anno M. D. II. Conſt.Palatinæ.

MICHAEL DE PAVLA S. T. Doctor, Eccleſiæ Metropolitanæ Cameracenſis Decanus, Carolo Auſtriaco Caſtellæ Principi à Confeſſionibus ab anno M. D. VI. ad annum vſque M. D. XVII. qui & emortualis illi fuit die XVII. Maij: dixit in funere Ferdinandi Regis Catholici. Conſt.Palatinæ anno M.D.VI. & M. D.XI.

ANTONIVS DE MONTECVTO, Sequanus, primus Abbas Commendatarius Monaſterij S. Vincentij Biſontini, Margaretæ Auſtriacæ Belgarum Gubernatrici, & Burgundionum Dominæ à Sacris Confeſſionibus. Obijt anno M. D. XXXII.

IOANNES GLAPION, Ordinis S. Franciſci in Curiâ Romanâ Commiſſarius Generalis, Prouinciæ Burgundicæ Procurator, Flandriæ Prouincialis, Carolo V. Imp. à Sacris Confeſſionibus. Valliſoleti viuere deſijt anno M. D. XXIII. Sanderus Rerum Brugenſ. l. 2. c. 6.

GARCIAS LOAYSA Hiſpalenſis, Ordinis Prædicatorum Generalis Magiſter, Epiſcopus Oxomenſis & Seguntinus, poſteà Archiepiſcopus Hiſpalenſis, Presbyter Cardinalis tit. Sanctæ Suſannæ anno M. D. XXX. quo, cùm in Vrbem profectus eſſet, Cæſari confitenti aures præbuit N. QVINTANVS S. T. D. eoque mortuo menſe Decembri M. D. XXXIV. iterùm Imperatori à Confeſſionibus & Conſilijs fuit Loayſa, Indiarum Præſes, Cruciatæ Commiſſarius, Hæreticæ prauitatis Inquiſitor Generalis. Diem obijt Mantuæ Carpetanorum anno M. D. XLVI. Fuit & alter Garcias Loayſa (ne cuipiam fraudi ſit nominum ſimilitudo) qui Philippi II. Eleëmoſynarius Maior, & Philippi eius Filij Ciaconius de Vitis Pontificum Rom. & Cardinalium. Vandeneſſius in Diario M. S. Vitæ Caroli V.

K ſtudijs

ſtudijs Præfectus, Concilia Hiſpaniæ, Notis eruditiſſimis illuſtrata, Madriti edenda curauit: ac demum creatus Archiepiſcopus Toletanus obijt Compluti anno M. D. XCIX. ætatis ſexageſimo quinto.

PETRVS DE SOTO, ex eâdem Diſciplinâ, Carolo V. à Confeſſionibus, & Theologus, anno M. D. XLVII. dum Dominicus de Soto eiuſdem Ordinis eidem Imperatori eſſet à Concionibus. Obijt Tridenti ad Concilium Oecumenicum à Summo Pontifice miſſus anno M. D. LXIII.

ALPHONSVS A CASTRO, eamdem Diſciplinam profeſſus, eodem apud inuictiſſimum Imp. munere functus legitur; vir ſuâ tempeſtate clariſſimus, magnamque ſcriptis famam adeptus.

PETRVS FABER, ex Ordine Fratrum Minorum de Obſeruantiâ, Carolo V. Imp. à Confeſſionibus, anno M. D. LV. quo illi inſcripſit librum De meditatione hominis ſupra ſeipſum, Auctore Roberto Cibolo, D. Virginis Pariſienſis Cancellario.

Conſt. Palatinæ. N. REGIS, Mariæ Auſtriacæ Hungariæ Reginæ, & Belgarum ac Burgundionum Gubernatrici à Sacris Confeſſionibus, anno M. D. LV.

Raiſſius in Belgicâ Chriſtianâ. ANTONIVS HAVETIVS Atrebas, ex alumno Ordinis Prædicatorij & S. T. Doctore primus Epiſcopus Namurcenſis, eidem Mariæ Auſtriacæ à Confeſſionibus & eiuſdem Concionator, ſicut & poſtmodum fuit Margaretæ Auſtriacæ, Duciſſæ Parmenſi; cuius commendatione Namurcenſium Antiſtes inauguratus eſt anno M. D. LXII. ipſo Sanctiſſimæ Trinitatis Feſto.

FRANCISCVS ORANTES, ex Ordine B. Franciſci, Concilio Tridentino interfuit, & mox Ioanni Auſtriaco,

Regio

Regio Belgarum Præfecto, à Confeſſionibus. Cùm eiuſdem in Caſtris apud Namurcum extincti corpus in Hiſpaniam retuliſſet, Epiſcopus Ouetenſis deſignatus, ibi quoque vitæ finem accepit.

INIGVS, ſiue IGNATIVS DE BRIZVELA, ex Dominicanâ Diſciplinâ, vir incomparabilis, haud ſine diuino nutu in Belgium ex Vrbe adueniens, Alberto Belgarum & Burgundionum Principi à Sacris fuit Confeſſionibus, & Conſilio Status Belgici poſteà in Hiſpaniâ Præſes, & Epiſcopus Segouienſis. Obijt Madriti anno M. DC. XXIX. ac demortui corpus Salmanticam tranſlatum.

Indices Familiæ Palatinæ XX. Februarij M.D.XCVI.

ANDREAS A SOTO, dum vixit, Ordinis Minorum Decus, cuius vita non niſi pietas, mens non niſi modeſtia, cogitatio non niſi Deus, Sereniſſimæ Iſabellæ Claræ Eugeniæ Hiſpaniarum Infanti à Sacris Confeſſionibus. Obijt Bruxellæ anno M. DC. XXV. Nonis Aprilis, ætatis LXXII. ſuſcepti Ordinis LIII.

Epitaphiũ illius. Indices Familiæ Palatinæ XV. Sept. M.D.XCIX.

PETRVS PAVNETVS Minorita, eidem Iſabellæ à Sacris Confeſſionibus, poſteà Epiſcopus Audomarenſis. Obijt anno M. DC. XXXI. & ſucceſſor illi ex Hiſpaniâ accerſitus.

Raiſſius in Belgicâ Chriſtianâ.

PETRVS DE CASTRO Minorita, anteà Ludouicæ ab Aſcenſione, celeberrimæ per id tempus Carione in Hiſpaniâ Sanctimoniali, à Confeſſionibus, poſtremus eo munere apud Iſabellam functus. Obijt Bruxellæ XIX. Aprilis M. DC. XXXVI.

Indices Familiæ Palatinæ I. Auguſti M.DC.XXV.

IOANNES A S. AVGVSTINO, Eremita Auguſtinianus, Ferdinando Hiſpaniarum Infanti S. R. E. Cardinali à Sacris Confeſſionibus, & Sancti Officij Qualificator. In Hiſpaniam reuerſus, Regi à Conſilio Status fuit. Obijt Madriti anno M. DC. XLVI.

Digitized by Google

GONSALVVS PACHECO, Ordinis Eremitarum S. Auguſtini, S. T. D. Philippo IV. Regi Catholico à Concionibus, ac deinde Sereniſſimo Hiſpaniarum Infanti Ferdinando à Sacris Confeſſionibus. Obijt Bruxellæ M. DC. XL. conditus in Æde Auguſtinianorum.

IOANNES A MATRE DEI Carmelita Excalceatus, vir religioſiſſimus, & omnibus in ſacro Ordine muneribus cum laude perfunctus, prædicti ſucceſſor, immaturo Ferdinandi Principis funeri adfuit; eiuſque poſteà tabularum exequendarum curam habuit.

IOANNES SCHEGA S. T. Doctor, è Societate IESV, in quâ abſolutis ſtudijs Theologicis Philoſophiam docuit, dein Decanus & Præfectus ſtudiorum fuit; ex quo munere tranſijt ad Rectoratum Nouitiatus, & ex hoc ad Collegij Viennenſis; Socius dein Prouincialis Auſtriaci fuit, donec à Sereniſſimo Archiduce Leopoldo Guilielmo in Confeſſarium aſſumtus ſub initium anni M. DC. XLIII. quo Sereniſſimus in animum induxerat caſtris derelictis vni Deo in Epiſcopatibus ſuis vacare: verùm cùm is à Cæſare totoque Imperio rogatus rurſus arma ſuſciperet, optimus Pater vnà cum Archiduce caſtra ſecutus, cum eodem in Belgium venit. Vir in Aſceticis ſummè verſatus, magnæ orationis, contemtor ſui, & Religioſæ diſciplinæ amantiſſimus.

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT X.

De Capellanis, quorum alij Honoris ſiue Oratorij, alij Altaris appellantur; & de illorum dignitate.

I. *Capellanorum Oratorij atque Altaris differentia.*
II. *Hi qui Honoris dicuntur, magno in pretio habiti.*
III. *Regijs perſonis quinam ad priuatam Miſſam aſſignentur.*
IV. *Eorum habitus cùm munere ſuo funguntur.*
V. *Quæ dignatio ſi peregrè proficiſcantur.*
VI. *Quæ item in publicis Supplicationibus.*
VII. *Ad Eccleſiaſticas dignitates promoueri ſolent.*
VIII. *Rara eorum modeſtia ac doctrina.*
IX. *Sereniſſimo Archiduci Leopoldo proprij.*

TAMETSI *Capellani* vno omnes nomine appellentur, non omnes tamen in obſequio Principis eiuſdem ordinis aut conditionis ſunt: nonnulli enim (& hi ſunt Minoris Capellæ Capellani) *Oratorij*, vel *Honoris*, vel *Scamni*, vulgò *del Banco*, vocari ſolent; quia ſoli in Oratorio coram Principe celebrant, ſolique inſident ſcamno Capellæ Regiæ, ad maiorem Principis honorem ac decus. Alij verò ſuum ab Altari ſumſerunt nomen, quòd ferè ad hoc vnum habeantur, vt vni ſoli Maioris Capellæ Altari inſeruiant, cùm alij, qui & Scamni & Honoris gerunt nomen, ad externam Principis maieſtatem conferant, neque ad hoc tantùm aſſumantur, vt coram eo I.

Rem Diuinam faciant. Et quamquam ex præſcripto Diario Officij Diuini ſtatis temporibus teneri videantur ad Sacrum in Capellâ Maiori decantandum, ſub Alberto tamen obligationis iſtius facta eſt ipſis gratia; quòd nimirum in iſtud honorarium ſcamnum allecti viri Nobiles, non perinde cantare docti, ab eiuſmodi munere cœperint excuſari, tranſlatâ in Capellanos Altaris modorum muſicorum curâ.

II. Vnde priuatim dumtaxat coram Principe faciunt, etiam in Belgio, & illis quidem ſolis id licet; adeò vt res multò notatu dignior ſub Iſabellâ Clarâ Eugeniâ contigerit, quàm quæ à Turtureto ſub Philippo eiuſdem Patre accidiſſe memoratur: illa enim, oblatâ fortè occaſione, ne Sacræ quidem Romanæ Eccleſiæ Cardinalis Miſſam audire voluit, poſthabito Oratorij ſui Capellano; nullo vtique tantæ Dignitatis contemtu, ſed eximiâ priſcæ inter Maiores conſuetudinis tenacitate. Legi quidem anno M. CCCC. LXXIII. cùm Fredericus III. Imp. & Carolus Burgundiæ Dux apud Treuiros conueniſſent, in inclyto Beati Maximini Cœnobio, cuius hoſpes erat Carolus, loci Antiſtitem coram eo celebraſſe; verùm ideò fortaſſe, quòd eumdem vti Luxemburgi Ducem, & ſic Monaſterij ſui Aduocatum agnoſceret.

III. Planè non ita ſibi hunc honorem præſtari à Capellanis Oratorij iubet Princeps, quin aliquando ſummæ dignitatis Principibus, aut cum Rege ipſo ſanguine coniunctis eumdem deferat. Vidimus quippe varios eiuſmodi Palatinis ædibus exceptos, quibus continuò Capellanorum Oratorij, iuſſu Principis, obſequium delatum eſt: vel ideò maximè, quòd eumdem extraneis & propinquis honorem ac ſibimet haberi velint. Sic ætate noſtrâ

Digitized by Google

noſtrâ Aurelianenſi Duci, & Franciſco Thomæ à Sabaudiâ, Caroli Emanuelis Allobrogum Ducis & Subalpinorum Principis filio iuſſus obſequi Philippus Chifletius: ſic Poloniæ Principi Caſimiro, Vladiſlai Sigiſmundi Regis fratri, & nunc ſucceſſori, cùm è Franciâ, vbi diu captiuus egerat, per Belgium in Poloniam rediret, pariter dati idem Philippus Chifletius, &, qui modò Beatæ Mariæ Brugenſis Præpoſitus eſt, Iacobus de Bernemicourt. Ea porrò ſingularis Principum eo ſatu prærogatiua eſt: alijs namque inferioris ordinis Capellanus, nimirum vnus ex ijs quos *Altaris* vocant, concedi ſolet.

IV. Habitus, cùm ad Miſſæ Sacrificium in Palatij penetralibus, ſeu in Oratorio hebdomadatim celebrandum eunt, eiuſmodi eſſe debet: Nitidâ in primis veſte, & pallio talari amictos eſſe oportet, caputque non iam pileo aut rotundo tegmine, vt olim, ſed Birreto nigro ſurſum cornuto tectos, quòd à Caroli Audacis temporibus ortum habuiſſe ex eiuſdem Conſtitutionibus patet. Scamno Capellæ Maioris inſidentes ſupparum Sacerdotale carbaſinum gerunt, & caput ibi tegunt, atque etiam in publicis Supplicationibus, in quibus non defertur Venerabile Sacramentum: idemque iuris obtinent in Palatij cubiculis interioribus extra conſpectum Principis. At ſi funebri alicuius Principis pompæ & ſolemnibus obſequijs ſuo ordine interſint, ſinguli talarem veſtem cæteris longiorem, & limbo promiſſiorem habent. Menſæ Principis benedicunt abſente Archicapellano, imò etiam præſente ſi non ſit Sacerdos; quod multis annis obſeruatum ſub Archiduce Alberto, dum Capellæ præeſſet Petrus Toletanus Sacris minimè initiatus. Atque

que hunc morem in Aulis Principum Chriſtianorum ab antiquo vſurpatum aſſerit eruditis Obſeruationibus Vincentius Turturetus, oſtenditque viguiſſe etiam in Aulâ Conſtantinopolitanâ ex verbis Codini, quæ ſunt eiuſmodi: *Abſolutâ Liturgiâ, Imperatore ad menſam præſente, priuſquam accumbat, venit Protopapa, aut alius de Sacerdotum numero, & benedicit Imperatoriam menſam.* Formula Benedictionis Alberti atque Iſabellæ temporibus hæc fuit: *Benedic Domine Principes noſtros, & dona quæ de tuâ largitate ſumpturi ſunt. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Amen.* Feſto etiam Dominicæ Reſurrectionis vnus è Sacellanis Oratorij benedicit ouis Paſchalibus & cibis inferendis in menſam Principis, eorumque ferculo vno donari ſolet.

V. Si peregrè proficiſcatur Princeps, qui è Sacellanis Oratorij ad hoc obſequium eligitur, eâdem quâ Præfecti Aulæ ſeu Palatini Oeconomi (qui Proceres omnes ſeu Marchiones, ſeu Comites ſunt, multoque quàm in Franciâ illuſtriores) menſâ excipitur, ex varijs Conſtitutionibus; vti iam olim, & à Philippo Burgundo Brabantiæ Duce ſancitum erat anno M. CCCC. XXIX. vt in Aulâ vnà cum Aulæ Præfecto Capellani menſæ aſſiderent.

VI. Immediatum coram Principe publicis in Supplicationibus locum iure vindicant ſibi, & alternatim, vt in Aulâ Hiſpanicâ, cum Ædis primariæ magnarum vrbium Canonicis primarium ſeu dextrum latus occupant, medij inter Regios Senatores.

Denique quoties Auguſtiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſolemni ritu in Aulâ circumfertur, ante omnes ius ipſorum eſt vmbellæ fulcra ſuſtinere: quia nempe

nempe viri omnes Deo mancipati, & in ſæculo clari ſunt.

VII. Quocircà non immeritò cœtus ille maximi fit à Principibus, vtpote qui varios ad Eccleſiam Dei regendam proferat. Ætate ſiquidem noſtrâ inde prodierunt *Antonius Trieſt*, Gandauenſis; *Paulus Boudotus*, Attrebatenſis; *Franciſcus Villani de Gandauo*, Tornacenſis; *Ludouicus de Croy*, Iprenſis; *Carolus vanden Boſche*, Brugenſis, Epiſcopi. *Philippus Chifletius*, Abbas Balernenſis. Decani prætereà Cathedralium, *Aubertus Miræus*, Antuerpienſis; *Franciſcus vander Eycken*, Iprenſis; *Ioannes Baptiſta Stratius*, Tornacenſis; *Carolus vanden Boſche*, Brugenſis; qui modò eiuſdem Eccleſiæ electus Epiſcopus. Præpoſiti Collegiorum Canonicorum, *Iacobus de Bernemicourt*, B. Mariæ apud Brugenſes; *Ludouicus de Croy*, Caſletenſis, idem qui ſuprà. Decani porrò Collegiorum eiuſmodi, *Edmundus Boutechoux*, *Benignus de Tomaſſin*, Dolæ in Sequanis Senatores Eccleſiaſtici, & B. Mariæ Decani; *Petrus Pantinus*, *Cæſar Clemens*, *Carolus Mansfeldius*, B. Gudulæ apud Bruxellenſes; *Carolus Mouchet*, S. Gommari apud Lirenſes. Ac prætereà *Ioannes de Laloo*, inclyti Velleris aurei in Aulâ Catholicâ Cancellarius. Sic inter Clericos Palatinos, quod Ambroſius in Officijs ſcriptum reliquit, accuratè obſeruatur. ait autem: *Bonis artibus & ſincero propoſito nitendum ad honorem arbitror, & maximè Eccleſiaſticum; vt neque reſupina arrogantia, vel remiſſa negligentia ſit, neque turpis affectatio & indecora ambitio.* Lib. 2. cap. 24.

Nimirum is locus eſt, quem & Sancti ſuſpicere, & ex cauſis ad animos ſpectantibus æſtimare non dedignantur: ſic enim B. Franciſcus Xauerius Indiarum Apoſtolus, in litteris ad Simonem Rodericum ſocium in Luſi-

taniâ agentem Cocino ſcriptis: *Oraui Regem per litteras, vt Sacerdotem quemdam (cui Stephano Ludouico Burano nomen eſt) ſibi à Sacello conſtituat. Id adeò non tam ipſius cauſâ feci, quàm quòd ſorores habet & orbas & inopes; quarum frater ſi quaſi ex cohorte Regiâ vir honoratus habeatur, facilè ſorores collocet in matrimonio. His enim locis in connubijs honeſtorum hominum, & apud Regem gratioſorum affinitas mirè expetitur.*

VIII. Nihil indecori puros caſtoſque Palatinorum Sacerdotum oculos ferit, nihil pudicas aures verberat. Nullus in veſtium luxu notandus; qualis olim fuit, ſed non impunè, Cuno Falkenſteinius, primùm Ædis Moguntinæ Canonicus, ac poſteà Treuerenſis Præſul deſignatus; qui cùm Carolo IV. Romanorum Imperatori fortè adſtaret veſtitu lauto, & maiorem in modum eleganti, penulam ſiue capitium geſtans magni pretij, aureis ſericiſque ſegmentis variè interpolatum ac diſtinctum; Carolus ei detraxit, ſuumque eſſe ſimulans, & ad Proceres conuerſus, percontatus eſt: Ecquid hac amictus ſpecie Militi ipſis an Clerico propior videretur? Mox ad Gerlacum Moguntinum Epiſcopum: *Per fidem*, inquit, *ſolemnem, quâ mihi te Imperioque deuinxiſti, præcipio tibi, vt acrem in poſterum Cleri formandi, luxuſque veſtium in primis reprimendi curam cogitationemque ſuſcipias. Sicubi verò Clerum tuis refragari monitis ac non parere ſentias, ſcito Sacerdotiorum omnium prouentus in Fiſcum noſtrum redigere tibi fas fore, quos ego deinde Summi Pontificis voluntate ad honeſtos & meliores vſus conuertero.* Nec aure iacente priſcæ ſeueritatis monitum Cuno excepiſſe dicitur; frugi euaſiſſe, & maiorem capacem docuit exitus. Tanti eſt magni Principis in oculis aliquando ſtetiſſe.

Browerus Annal. Treucrêſ. lib. 17.

Eſt

Eſt & inter Clericos Palatinos Muſis etiam ſeuerioribus & ſapientiæ locus, vti docet viri ſummi Octauij Brancifortij Catanenſis Epiſcopi clariſſimum exemplum; qui cùm Regi maximo Philippo IV. eſſet à Cortinâ, Operi elegantiſſimo & ſe digno *de Animorum perturbationibus* ſucciſiuas cogitationes impendit, & libros conſcriptos ſummo nuper Chriſtianæ Philoſophiæ bono vulgauit: adeò nemini tempus ad laudabilia pertractanda non ſuppetit.

Reges noſtri Auguſtiſſimi, inquit Turturetus, *tametſi Sacellani munere & titulo ornent nonnullos, quibus virtus & litteræ Regij Sacelli fores aperiunt; omni tamen tempeſtate viros primariæ Nobilitatis inter ſuos Sacellanos cooptarunt. Non multum temporis effluxit, ex quo viſus eſt in Regio Sacello quiſpiam è Sacellanis ad Magnates Hiſpaniæ tranſiiſſe: vtpote cui, fratre mortuo Magnate, Dynaſtia obuenerat iure hæreditario.* Idem ego de Sacellanis Oratorij in Belgio non iniuriâ dixerim, cùm hodieque inter eos Marchionum & Comitum fratres vel filij non pauci cenſeantur. Sunt autem hi Sereniſſimo Archiduci Leopoldo proprij. *Henricus Tailler*, Magiſter Cæremoniarum, & in D. Gudulæ Bruxellenſis Canonicus: de quo etiam infrà capite vltimo. *Maximilianus Happart*, Canonicus, atque Officialis Eccleſiæ Cathedralis Antuerpienſis. *Ioannes Vrquina,* Eques Ordinis Sancti Iacobi, & Eccleſiæ Cathedralis Gandauenſis Canonicus. *Carolus Caullier*, Magiſter Cantus Capellæ, & Canonicus Lenſenſis. *Iacobus Dalmans,* Eccleſiæ Cathedralis Tornacenſis Canonicus & Pœnitentiarius. *Ignatius de Berghes*, ex Comitibus de Grimberg, eiuſdem Cathedralis Eccleſiæ Canonicus. *Dominicus Serragli*, Præpoſitus Crembſi- IX.

L 2 rienſis

rienſis in Morauiâ, atque etiam Cathedralis Eccleſiæ Tornacenſis Canonicus. *Iacobus VVoiſlauski*, in D. Gudulæ Bruxellenſis Canonicus & Theſaurarius. *Reynerus Paulus de Craſauernas*, Eccleſiæ Metropolitanæ Cameracenſis Canonicus. *Hieronymus Albertus de Liedermans*, I. V. Licentiatus, & Eccleſiæ Sancti Martini Carpenſis Canonicus. *Petrus Albertus*, filius Comitis de *Vrſel*, Præpoſitus Duacenſis. *Iacobus Theodorus de Bryas*, Marchionis de Molenghien ex fratre nepos. *Alphonſus Lopez*, in D. Gudulæ Bruxellenſis Canonicus. *Ignatius Auguſtinus*, filius Comitis de *Grobendonq*, Eccleſiæ Cathedralis Tornacenſis Canonicus. *Ferdinandus Raſo*, filius Marchionis de *Trazegnies*, eiuſdem Eccleſiæ Cathedralis Canonicus; & *Ioannes Chifletius*, amantiſſimus frater, cuius operâ & curâ noſter hic Commentarius in publicum prodit. Ac ne quid deſit comparationi Sacelli Bruxellenſis cum Madritenſi, in eo etiam vidimus annis abhinc non paucis Sacellanum gente priſcâ & perilluſtri carbaſinum ſupparum cum aurei Velleris torque commutaſſe, & è ſcamno Capellanorum, in illud quod è regione eſt, atque inclyti Ordinis Collegium tranſijſſe.

CAPVT XI.

Capellæ totius, quoties Diuinis intereſt Princeps, ſacra & verenda maieſtas.

I. *Iſabella Catholica dedit initium varijs in Capellâ ſedibus.*

II. *Comitatus Principis ad Capellam procedentis.*

III. *Cortinam nemo niſi Regi coniunctus Princeps ingreditur.*

IV. *Tribuna, vbi Diuinis interdum Principes interſunt, quid ſit, & vnde dicta.*

V. *Qui ſedes in Capellâ habeant.*

VI. *Locus Præfecti Cortinæ & ſupremi Oeconomi.*

VII. *Sedes Hiſpaniæ Magnatum; & qui eam aliquandò occuparint.*

VIII. *Sedes Capellanorum Honoris; vbi Confeſſario, Præfecto Cortinæ, Magiſtro Cæremoniarum, & Concionatoribus locus.*

IX. *Scamnum hoc Seminarium Epiſcoporū appellatum.*

X. *Sedes Legatorum & Nuntiorum; atque Internuntiorum Apoſtolicorum Series.*

XI. *Equitum Ordinis Velleris aurei eiusque Miniſtrorum ſedes.*

XII. *Sagittarij, Haſtati, Muſici.*

LOCO iam à me deſcripto, & enarratis ſeorſim ac ſingillatim præcipuis Capellæ muneribus, ſequitur vt de Sacro eiuſdem apparatu nonnulla ſubijciam, ſeu quando ea quæ antè retuli ſimul eodemque in loco ſpectare liceat. Licet au- I.

 tem

tem quoties ritu ſolemni Diuinis Officijs adeſſe ſolet Princeps, vniuerſâ Capellæ facie ſuis ordinibus planè tum collucente; quæ dubio procul ſtabilita ab Iſabellâ Reginâ Catholicâ, Ferdinandi vxore; quemadmodum haud obſcurè Lucius Marinæus Siculus, de Ordinibus in eiuſdem Capellâ ſeruatis, memorat.

De Rebus Hiſpaniæ, cap. de Religione Iſabellæ.

II. Princeps in Capellam è cubiculo ſuo media per atria ſeu veſtibula progreditur, ſequentibus è Clero Palatino, Eleëmoſynarijs & Cortinæ Præfectis; non autem Archicapellano, vel eo qui eius officio fungitur; cùm eum, vt mox dicturus ſum, ad oſtium Capellæ Luſtralem aquam porrecturus expectet. Præcedit verò & comitatur Procerum turba; quorum primarij, Nuntius Apoſtolicus, Legati, Summus Aulæ alijque Præfecti, Magnates, Equites aurei Velleris, & Nobiles Cubicularij; quod & olim cautum in Conſtitutionibus Philippi Burgundi, Brabantiæ Ducis, anni M. CCCC. XXIX. quemadmodum & à Carolo Audace prudenter conſtitutum fuit; *Vti quoties ipſe cubiculo egrederetur vt Miſſæ intereſſet, quatuor primarij eius trimeſtris* (ſolebant Aulici ſingulis per annum trimeſtribus mutari) *Cubicularij, intra terminum ſibi præſcriptum quilibet, vel qui eorumdem fortè abſentium vices gererent, decenti ordine eum in Capellam comitarentur: ipſoque Oratorium ſuum ingreſſo, poſſent quidem abire ex ijs qui vellent, & pro arbitrio prandere, nequaquam expectantes donec ipſe ad Offertorium procederet, niſi exteri adeſſent, vel extra Aulam Miſſam auditurus eſset; tunc enim prædicti præſentis trimeſtris Cubicularij, alijque in eâ Eccleſiâ vbi Miſſam auditurus erat, remanebant vſque ad ipſum Miſſæ exitum, vt Sacrificio peracto eum comitarentur, & ad Aulam reducerent.*

Ad

Ad Capellæ oſtium progreſſus Princeps oblatam ſibi ab Archicapellano Luſtralem aquam ſumit: ſi is abſit, vel ab Eleëmoſynarijs, vel à Cortinæ Præfectis, pro cuiuſque antiquitate: qui ſi fortè omnes abfuerint, neque adſit Epiſcopus (quod rarò contingit) ipſemet Princeps aquam digito accipit; vti aliquoties factum à Sereniſſimo Principe Ferdinando, Hiſpaniarum Infante. Conopeum deinde ſeu Cortinam ſolus ingreditur, ad ipſum Euangelij cornu; quæ ex ſerico villoſo, aut aliquo alio magni pretij panno eſſe ſolet. Dixi Principem, qui tum Reipub. habenas moderatur, in Conopeum ſeu Cortinam ſolum ingredi, quia nemini præterea licet; niſi fortè ipſe quempiam ſanguine Regio ſibi coniunctum eo velit loco cohoneſtare; quemadmodum in præfatione diximus, Iſabellam Luſitanicam, Philippi Boni coniugem, & Bethfortiam Ducem (erat hæc Anna Burgundica Philippi ſoror) Oratorium idem ſubijſſe. Vnde & hac ætate noſtrâ tenſa fuit Cortina Gâſtoni Borbonio Duci Aurelianenſi ad Sereniſſimam Iſabellam profugo; verùm inquies iſtius genij feruor, ac pro more Gentis minùs patiens grauitatis, identidem illum extra Cortinam propulit, vulgatâ etiam in Sacrum locum obuio cuique admiſſionis copiâ; ita vt deinceps libertatem iſtam ſuam Conopei ſipario circumduci noluerit. Et noſtris pariter temporibus Cariniani Principem Franciſcum Thomam à Sabaudiâ ad ſiniſtrum Ferdinandi Hiſpaniarum Infantis latus, remotiore aliquantulùm loco, & ſine obiecto ſuppedaneo, flectere non ſemel intra Cortinam vidimus; ac Sereniſſimum Carolum Lotharingiæ Ducem, maieſtatis & externi cultus alioqui ſibi debiti haud vſque adeò retinentem, III.

tem,

tem, ab eodem Infante ad Cortinam ſecum ſubeundam inuitari.

IV. Sin autem Princeps in publicum de more non prodeat, adhærent ipſi Palatio verſus dextrum Capellæ latus cubicula duo; quorum alterum pro arbitrio ex intimis Palatij nullo teſte ingreditur. *Tribunas* vocant; voce, vt arbitror, *à Tribunali* in priſcis Ethnicorum Baſilicis acceptâ; quod à Vitruuio dicitur *eſſe in Æde hemicyclij ſchematis, minore curuaturâ formatum*. E ſupremo horum cubiculorum Iſabella, ex inferiori Albertus ſæpè Diuinis interfuêre. Inferius Maria Medicæa Francorum Regina occupauit aliquoties, vbi primùm anno M. DC. XXXI. ad Belgas profuga, Palatio Regio excepta eſt. Et pro ſingulari fuit beneuolentiæ teſtimonio, quòd eadem Iſabella Carolinam Auſtriæ Marchioniſſam, Rudolphi II. Imp. filiam, ex eâdem Tribunâ Matutino Natalis Dominici Officio intereſſe voluerit anno M. DC. XXX.

Architect. lib. 5. cap. 1.

V. Variæ præterea ſunt ſedes, ab vtroque nauis latere concinnè diſpoſitæ, in eorum gratiam dumtaxat quibus ſedendi facultatem aut dignitas aut munus conceſſerunt; nec enim pro arbitrio id licet, tum ex antiquioribus tum è Caroli V. Conſtitutionibus Aulicis anni M. D. XLV. ait quippe: *In Capellâ nemo vel ſedeat, vel caput operiat, niſi qui in eâ ſedendi ius habent*. Habent autem Magnates, Epiſcopi, Legati Regum Coronatorum, & Reipub. Venetæ, Equites Ordinis Velleris aurei, Capellani Honoris, alijque infrà nominati; præter quos nemini ſedere licet, ne ipſis quidem Oeconomis, qui è regione prædicti Conopei, ſeu Cortinæ, baculis ſuis, tamquam muneris ſui inſignibus & notis, innixi ſtare debent; atque alibi Sariſſophoræ ſeu Præto-

Prætorianæ cohortis & Haſtatorum Præfecti vel Vicarij.

Ad cornu Euangelij ſcamnum habetur Epiſcoporum, in quo & *Capellanus Maior* ſedet, vel qui eius officium implet. *Eleëmoſynarij* ſtant proximè retro *Cortinam*; cui & à latere adſtandi ius habet, vt ritè munere ſuo fungatur, Præfectus eiuſdem: obſeruatumque ſemper fuit (ne hoc miſſum faciam) vt extincto Principi, & in lecto eburneo iacenti, Sommelerius Cortinæ perinde adſtet ac ſuperſtiti. Iuxtà verò à tergo *Summus Aulæ Oeconomus*, ſeu *Maior Domus*, humilem ſellam inſidet, fulcris deſtitutam (Hiſpani vocant *Silla raſa*) & ratione officij caput ibi tegit, licet Hiſpaniarum minimè ſit Magnas. VI.

Sequuntur ab eodem vtique latere *Hiſpaniæ Magnates*, qui eo quo venerunt ordine ſedere ſolent; nullo alio inter illos præcedentiæ iure ſeruato. Gaudent autem iure tegendi coram Rege capitis (quod à Philippo I. inductum eſt) non ſolùm qui ex hoc Belgio Magnates ſunt, videlicet Comes Egmondanus, Arſcoti & Haurechij Duces, & Princeps Lignæ, verùm etiam qui huc ex Hiſpaniâ ſeſe conferunt; nullaque inter eos eſt differentia. Vidimus porrò & alios eo honore de Principis veniâ condecoratos, externos nempe magno ſatu, & qui Magnatibus pares videri poſſint: ſic Alberto Pio ſuperſtite Carolum à Lotharingiâ, poſtremum ſui cognominis Aumaliæ Ducem; poſt Alberti verò fata, Iſabellâ regente, Carolum Auſtriæ Marchionem, Rudolphi II. Imp. Filium, & Carolinæ anteà memoratæ Fratrem; Emanuelem item, Antonij Pſeudoregis Portugalliæ Filium; ac demum Carolum à Lotharingiâ, Ferdinando Hiſpania- VII.

rum Infante Belgium gubernante, Elbodij Ducem eius nominis II.

VIII. Oblongæ Magnatum ſedi proxima eſt ea, quæ Capellanorum Honoris propria eſt; qui proinde in Hiſpanicâ & Belgicâ Aulâ *Capellanes del Banco* appellantur. Sortiti autem id nomen ex eo videntur, vt antè diximus, quòd cùm cæteri inferioris ordinis ad Altare miniſtrent (vnde & *Altaris Capellani* dicti ſunt) ipſi intereà ſcamnum iſtud occupantes ſacri loci decus & maieſtatem augeant.

Primus in eo locus eſt *Confeſſario Principis*, de quo iam actum; deinde *Cortinæ Præfecto*; tum *Ceremoniarum Magiſtro*, qui ritus vbique ita moderatur, vt nullus è Clero,niſi præuio eiuſdem nutu, pedem moueat; poſteà *Concionatoribus* ex vſu & conſuetudine, contra Hiſpanicæ Aulæ morem, in quâ, Turtureto teſte, Capellanis immixti ſedent, nempe qui ordinarij ſunt; cæteri non item, qui ad id fortè munus obeundum inuitati fuerint: vniuerſorumque eſt ad Principis conſpectum minimè pallere, vel obmuteſcere, vti olim Carolo V. præſente Iacobus Latomus ſenior Theologus inſigniter eruditus, qui repentè ſtupefactus eo dementiæ peruenit, vt omnem omnino medicorum, cùm animi tum corporis, artem vicerit. Cæteris Capellæ Regiæ Concionatoribus Ordinarijs abſentibus, vnus in Aulâ ſupereſt P. CAROLVS DE BREVIL, Societatis IESV Theologus, & Superior Miſſionis Caſtrenſis.

Proximus à Concionatoribus eſt locus Capellanis Honoris, qui hîc, præter ſupradictum Hiſpanæ Aulæ ritum, non vt illic ſine delectu, ſed ordine admiſſionis ſeruato ſedem habent. Solis his quorum hîc meminimus,

mus, in eo ſedendi ius proprium eſt; ne Capellanis quidem Regijs Regni Caſtellæ, vti Ferdinandi Hiſpaniarum Infantis iudicio decretum: eſtque ita certum alios quoſlibet ab iſto ſcamno arceri, vt ſi fortè vacuum eſſe contingat, ne tunc quidem cuipiam alteri locus eſſe poſſit; vſque adeò, vt anno M. DC. XXXI. Auguſti XXVIII. cùm Sereniſſima Iſabella in Æde quadam Bruxellenſi (cuius Patroni tum feſtus dies recolebatur) Sacris intereſſet; ac Ordinis Religioſi Prouincialis hoc ipſum Capellanorum ſedile occupaſſet, eâ de re monita Princeps, illicò Cæſareenſi Archiepiſcopo, ſummo Eleëmoſynario, ſignificari iuſſerit, vt eum inde recedere imperaret; quod à Carolo Mansfeldio, viro illuſtri & Cæremoniarum Magiſtro, mox præſtitum.

Cæterùm, quoniam qui hocce Capellani Honoris IX. munere à Principe cohoneſtantur digniſſimi habentur, qui ad primi ordinis Sacerdotia, Dignitates, atque adeò Epiſcopatus promoueantur; non immeritò commune Capellanorum ſcamnum ab Ampliſſimo viro Petro Pecquio, Brabantiæ Cancellario, & Francicâ Legatione clariſſimo, *Seminarium Epiſcoporum* appellabatur; vt ſic ad huius in Capellâ Regiâ muneris commendationem vix addi quidquam poſſit, [a] præter ea quæ à doctiſſimo Turtureto ſtylo pereleganti de hoc argumento traduntur, Sacelli Regij capite ſeptimo.

[a] Vide & Michaëlem Ferrum Manriquem de Præcedentijs qu. 12. num. 12.

Ad alteram nauis partem, è regione Cortinæ, ſcamno X. inſident ſtrato tapete, & aliud antepoſitum habent holoſerico tectum, *Summi Pontificis, Imperatoris, Regum, atque eorum Principum Legati qui id iuris obtinent*. Vbi notandum, Hiſpanicum Francico præferri: itemque, ſi Pontificius Legatus à Latere ſit, eum diuerſam ab hac

cum cæteris communi ſedem, & quidem ſuperiorem obtinere, quia nempe S. R. E. Cardinalis eſt; vnde pulpitum, & retrò cathedram habet non ſecùs ac Princeps. Sedent porrò Nuntij quemadmodum iam dixi, niſi fortè Sacris coram Principe operentur; quod diebus ſolemnioribus accidit, & præſtiterunt ſæpè admodum qui eâ Legatione in hac Aulâ defuncti; quorum Series tum hiſce tum alijs fortè in rebus haud ſine aliquo vſu eſſe poſſit.

Ioannes Faber à S. Remigio, Ordinis Velleris aurei primus Fecialis, in Hiſt. M. s. Pius II. PP. in Commét.

Atque in primis Pacis componendæ causâ inter Carolum VII. Franciæ Regem, & Philippum Bonum Burgundiæ Ducem anno M. CCCC. XXXV. miſſus Atrebatum NICOLAVS ALBERGATVS, vir ſanctiſſimus, Eugenij IV. Legatus à Latere, S. R. E. Cardinalis tit. S. Crucis in Hieruſalem; & Concilij Baſileenſis nomine HVGO LVSIGNANVS, Cyprius, Epiſcopus Nicoſienſis, Frater Regis Cypri, S. R. E. Cardinalis tit. S. Hadriani; qui menſe Iulio eiuſdem anni ſeparatim dieque diuerſo Atrebatum ſolemni pompâ ingreſſi ſunt, comitantibus domeſticis, Epiſcopis, Prælatis, alijſque magni nominis atque auctoritatis viris.

N. Epiſcopus Interamnenſis, Sedis Apoſtolicæ Legatus in Aulâ Philippi Boni anno M. CCCC. LXI.

LVCAS DE TOLENTIS, Epiſcopus Sibinicenſis, Nuntius & Orator Apoſtolicæ Sedis ad Carolum Audacem Burgundiæ Ducem anno M. CCCC. LXXIII.

HIERONYMVS VERALLVS, Archiepiſcopus Roſſanenſis, Nuntius cum facultate Legati à Latere ſub Carolo V.

P. VORSTIVS, Epiſcopus Aguenſis, anno M. D. XXXVII.

XXXVII. Mariâ Ludouici Hungariæ Regis viduâ, Caroli V. Imp. ſorore, Belgium gubernante.

N. SALVATOR, Epiſcopus Cluſinus, Pauli PP. IV. Nuntius ad Philippum II. Regem, pro executione Bullæ de nouorum Epiſcopatuum erectione in Belgio M. D. LIX.

Arnoldus Hauenſius in Comment. de Erectione nouorum Epiſcopatuum.

a N. CASTANEVS, Archiepiſcopus Roſſanenſis, miſſus in Inferiorem Germaniam ad ſedandos tumultus Belgicos M. D. LXXIX.

a Frâciſcus Lanarius de Bello Belgico.

IOANNES FRANCISCVS BONHOMIVS, Epiſcopus & Comes Vercellenſis, Nuntius Apoſtolicus in Belgio cum poteſtate Legati à Latere anno M. D. LXXXVI.

OCTAVIVS MIRTVS FRANGIPANES, primùm Tricaricenſis Epiſcopus, deinde Archiepiſcopus Tarentinus, in hac Aulâ Nuntius ab anno M. D. LXXXVIII. ad annum vſque M. DC. VI. cui ſucceſſor datus

DECIVS CARAFFA, Archiepiſcopus Damaſcenus, tum Neapolitanus, in Hiſpaniâ deinde Nuntius, ac demum S. R. E. Cardinalis anno M. DC. XII.

GVIDO BENTIVOLVS, Archiepiſcopus Rhodienſis, poſteà in Franciâ Nuntius M. DC. XVI. ac S. R. E. Cardinalis anno M. DC. XXI.

ASCANIVS GESVALDVS, Archiepiſcopus Barenſis & Canuſinus, hinc in Aulâ Imperatoriâ Nuntius.

LVCIVS DE MORRA, Archiepiſcopus Hydruntinus, Regi Catholico à Conſilijs, Abbas de Vedranâ, Pauli V. Prælatus domeſticus, Nuntius in Aulâ Belgicâ anno M. DC. XVII. Receſſit anno M. DC. XIX.

LVCIVS A SANCTO SEVERINO, Salernitanus Archiepiſcopus, & Regi à Conſilijs, Hydruntino ſuffectus M. DC. XIX. In Italiam & ipſe redijt anno M. DC. XXII.

M. 3 IOANNES.

Ioannes Franciscvs, ex Comitibus Gvidiis a Balneo in Flaminiâ; primùm Archiepiſcopus Patracenſis, deinde Epiſcopus Ceruianus, ac poſteà Reatinus, Salernitano Archiepiſcopo ſucceſſor datus, & annis aliquot elapſis Pariſios profectus M. DC. XXV. occaſione Legationis Franciſci Cardinalis Barberini, ſubſtitutum reliquit in Belgio Iuriſdictioni Apoſtolicæ exercendæ Franciscvm a Rya Archiepiſcopum Cæſareenſem. Ac demum Nuntij titulo in Franciam miſſus, ibidem creatus eſt Cardinalis anno M. DC. XXIX.

Fabivs de Lagonissa, ex Marchionibus Montis Herculei, Archiepiſcopus Compſanus, Vrbani VIII. Prælatus domeſticus, in Italiam reuerſus eſt XXVII. Martij M. DC. XXXIV. illicò à morte Sereniſſimæ Iſabellæ Claræ Eugeniæ Hiſpaniarum Infantis: & ab eius exitu nullus eâ dignitate, eoque titulo in hanc Aulam aduenit; ſed Nuntiorum vices, atque adeò Iuriſdictionem Apoſtolicam adminiſtrarunt, primùm quidem

Richardvs Pavli Stravivs, qui Romæ exacto viginti annorum ſpatio, nauatâque Sedi Apoſtolicæ egregiâ operâ ſub Paulo V. ac alijs Pontificibus, Archidiaconus Maior, & Canonicus Eccleſiæ Cathedralis Atrebatenſis renuntiatus eſt; atque inde euocatus ſub initium anni M. DC. XXXIV. iuſſu Vrbani VIII. in Aulam Bruxellenſem, obiuit ibidem ſummâ cum prudentiâ atque integritatis laude munus Internuntij Apoſtolici Belgicarum Ditionum & Burgundiæ Comitatus. Exin aſſumtus ad Archidiaconatum Brabantiæ in Eccleſiâ Metropolitanâ Cameracenſi anno M. DC. XXXVIII. dumque ad hanc ſpartam exornandam ſe diſponit, placuit

cuit Sereniſſimo Principi Ferdinando, vtriuſque Bauariæ Duci, Archiepiſcopo & Electori Colonienſi, eumdem anno M. DC. XLI. nominare ad Vicariatum Generalem in Pontificalibus Eccleſiæ ſuæ Leodienſis, cum deſignatione Epiſcopatus Dyoniſienſis; quâ nominatione eodem anno per Vrbanum VIII. confirmatâ, litteriſque prouiſionis eiuſmodi Epiſcopatus expeditis, poſtridie Kalendas Februarij, ſeu Virginis Purificatæ Feſto die, in Æde PP. Carmelitarum Bruxellenſium, ad altare S. Caroli Borromæi, quod ipſe ſumtu munificentiſſimo extruxerat, Epiſcopus ritè inauguratus eſt anno M. DC. XLII. eique ſucceſſit VII. Aprilis

ANTONIVS BICHVS, Nobilis Senenſis, Abbas S. Anaſtaſiæ, Adminiſtrator Apoſtolicæ Iuriſdictionis cum facultatibus Nuntij in Belgicis Ditionibus & Burgundiæ Comitatu; cuius hactenus ij labores fuêre in ſanâ fide atque auctoritate Romanæ Sedis aſſerendâ, vt quàm optimè difficillimis temporibus de Religione Catholicâ ac prouinciâ ſibi impoſitâ meritus ſit; in quâ exacto iam ſeptennio, XXVIII. Auguſti, anno M. DC. XLIX. electus eſt Epiſcopus Montis Ilcinei in Etruriâ, Sacri Imperialis Palatij Comes natus.

Suus quoque in Æde Palatinâ *Velleris aurei Equitibus* eſt locus; propriumque eorum eſt ſingulare ſcamnum, cui perinde atque alij Magnates, ac Regum Principumque Legati inſident; ſed iſtorum hoc priuilegium eſt, ex Philippi IV. Regis decreto anni M. DC. XXXI. Nouembris XXV. vt talaribus holoſericis & phrygij operis veſtibus redimiti (qui proprius eſt Ordinis habitus) ipſo S. Andreæ Feſto Diuinis interſint vnà cum eiuſdem inclyti Sodalitij Miniſtris, excepto opere phrygio ijſdem XI.
veſtibus

veſtibus purpureis & holoſericis coruſcantibus, atque infrà in nauis medio ſedentibus.

XII. Adſunt & cohortes duæ, altera *Sagittariorum*, quæ eſt Prætoriana, & ad ſacri corporis ſeu ipſius Principis cuſtodiam habetur; altera, quæ *Haſtatorum* eſt. Priores illi Burgundiones appellantur, etiam in Hiſpaniâ, α teſte Turtureto: iſti Germani ſunt, & chlamydem habent geminis à tergo pendentibus veluti columnis, ex eodem quo chlamys ipſa & cætera veſtis panno. Vnde β huic pallio factum nomen *Plus vltra*, à ſymbolo Caroli V. Imperatoris; cuius auctor atque inuentor fuit γ Ludouicus Marlianus, Tudenſis Epiſcopus, Principis eiuſdem nondum Cæſaris Medicus Cubicularius. Sagittarij ſeu ſpiculatores ex honeſtâ omnes familiâ ſunt, & aliqui etiam è nobili, ac viciniora Principi loca obtinent, maiorque eorumdem ad Aulam procedentium eſt decor: ſtatuit ſiquidem de his anno M. DC. XXIX. die XIX. Martij Iſabella Clara Eugenia Hiſpaniarum Infans quæ ſequuntur: *Diebus Dominicis & Feſtis omnes & ſinguli, præter eos qui tum actu vigilias exercent, ad Præfecti ſui ædes ſeſe conferre debent, veſtibus ſuis & ſpiculis inſtructi, vt eumdem ad Palatium vſque comitentur. Aderunt deinde, vbi Sacrificio Miſſæ intererimus, cum eo decore & ſilentio quale locus exigit: procurabuntque, vt qui pariter aderunt, idem obſeruent, & nemo locum ſibi indebitum occupet.* Arma quæ ferunt hoc tempore, ſpiculorum ſeu venabulorum ſunt in modum; verùm ab antiquis, arcu nempe & ſagittâ, hodiernum adhuc retinent nomen: erat enim magnum eiuſmodi telorum robur: vnde & in Conſtitutionibus Aulicis Philippi Boni quàm fieri poſſet ſæpiſſimè ſeſe arcu exercere iubentur.

α In Notis ad cap. 6. Regij Sacelli ſub finem.

β Conſtitutiones Palatinæ annor. M. D. VI. M. D. XI. M. D. XVII.

γ Paulus Iouius de Symbolis Heroicis.

Denique

Denique haud mediocre Capellæ Regiæ ornamentum eſt Odeum, Philippi II. Regis opus, organo triplici varijs poſteà temporibus inſtructum. Hunc apparatum auget celeberrimus Symphoniacorum chorus, haudquaquam Phonaſcorum Philippi Boni memoratæ iam turbæ inferior. Claruerunt haud pauci Caroli V. ætate, quorum Mameranus benè magnam ſeriem adfert; atque vnius *Iacobi Platpaïs* infelicem interitum ſingulari epitaphio deflet Ioannes Secundus Hagienſis, Poëta non ignobilis. Excelluêre præ cæteris ſub Alberto & Iſabellâ *Petrus Philippi*, natione Anglus, cuius fama in Indiam vſque penetrauerat, vulgatis à ſe omnis generis in Muſicâ libris; *Antonius* item *Chamberius*, Nobilis Anglus; *Ioannes Vermeulen*, Belga; *Ioannes Stephanus Cireſa*, Italus; ac demum *Petrus de Campis*, Biſontinus; quorum illi vario in arte Muſicâ inſtrumentorum vſu clariſſimi, iſte verò voce ſupra humanum modum ad ſupremam vſque ſenectutem ſuaui dulcique præditus, magnum Capellæ Regiæ Bruxellenſi nomen conciliarunt.

Nec minore bellicæ laudis quàm Pietatis excolendæ ſtudio præſtans Sereniſſimus Archidux Leopoldvs, reſtitutâ ſæpiùs arte, & euocatis identidem Româ Cantoribus, Capellæ cantum Italâ ſuauitate condiri voluit, accerſito *Ioſepho Zamponi* Romano; quo Præſide plus ſatis conſtat dulci vocum harmoniâ Symphoniacos inter ſe deuinciri, atque audientium aures blandioris ſoni dulcedine permulceri.

Rudis hactenus atque inconcinna ſacri apparatus deſcriptio hæc fuit; verùm qui ſuis oculis eum viderit externus indigenáve, ſibi temperare non poterit, quin continuò, tactus loci, Principis, Miniſtrorum, Procerum

Digitized by Google

ac turbæ ipſius maieſtate, ſimile quid alibi vſpiam haberi pronuntiet; Mariæ Mediceæ Reginæ Francorum exemplo, quæ cùm è Tribunâ inferiori, quæ Alberti Pij propria olim fuerat, Diuino Officio ipſo Aſſumtæ in Cælum Virginis peruigilio intereſſet, meritò omnia ſingulaque vehementer demirata eſt.

CAPVT XII.

Capellanorum Regiorum libertas & venia aſſiduitatis.

I. *Modus adipiſcendi hanc libertatem à temporibus Caroli Magni. Turturetus in eiuſmodi argumenti tractatione laudatus.*

II. *Vicarij & Iudicis Apoſtolici Mandatum, gubernante Alberto Archiduce.*

III. *Formula Iuramenti Capellanorum Honoris ſiue Oratorij.*

IV. *Eorumdem venia aſſiduitatis ſub Philippo Bono.*

V. *Sub Carolo Audace & Maximiliano eius Genero.*

VI. *Sub Carolo Archiduce, poſteà Imperatore eius nominis V.*

VII. *Sub Philippo II. Rege Catholico.*

VIII. *Ad noſtra vſque tempora prorogatur.*

I. MINIME nouum eſt in hoc Belgio, Principum Capellanos Liberos cenſeri, quando à Caroli Magni temporibus vſurpata hîc fuit forma, apud æquales eidem Imperatori & Nepotibus eius Scriptores haud incognita: id enim apud illos, *More liberi Clerici ſe Principi commendare* appellatur.

Peyratius in Hiſtoriâ Capellæ & Oratorij Regum Franciæ lib. 5. c. 8. & 16.

Sic

Sic Wenilonem, Senonenſem Archiepiſcopum, in Synodo Tullenſi queritur Carolus Caluus ad Ludouici Germaniæ Regis Fratris ſui partes migraſſe, *qui in Capellâ*, inquit, *meâ more liberi Clerici ſe mihi commendauerat*. Et alio loco idem Imperator aduerſus alterum, Teutoldum nomine, ſimiles propè querimonias miſcet; *quoniam ipſi ſe commendaſſet, & fidelitatem ſacramento promiſiſſet*. Ita adhibito iuramento Clerici, qui Clientelæ Principis adſcribebantur, conſequebantur libertatem, & nouo Antiſtitis Palatini patrocinio freti, *Clerici Liberi* vocabantur. Vnde pulchrè à Turtureto notatum, non tantùm ad locum pertinere, ſed etiam ad perſonas extendi priuilegium Capellæ Regis Burgundiæ, *Cap. Cùm Capella, de Priuilegijs*: atque adeò hodieque Regis Capellanos præter Summum Capellanum & Legatos Sedis Apoſtolicæ, Antiſtitem alium non agnoſcere, & ius dicenti non parere impunè. Quod etiam confirmat, citatis Bullis Pontificum Romanorum, Sixti IV. Innocentij VIII. Alexandri VI. Iulij II. Clementis VII. Gregorij XIV. & maximè nouiſſimis Codicillis Pauli V. oſtenditque eâdem prærogatiuâ exornatas alias aliorum Regum Capellas & Capellanos. Illud in confeſſo eſt, in hac noſtrâ Bruxellenſi Aulicos Concionatores aſſumi ſolâ auctoritate Capellani Maioris, Magnatum ſubinde celebrari connubia, atque eorum liberos interdum ablui aquâ luſtrali, vt Capite vltimo dicturi ſumus. Quibus iuuat annectere mandatum Vicarij & Iudicis Apoſtolici, Alberto Archiduce Cardinali gubernante.

In Notis ad Sacelli Regij caput 4.

II. *Nos Doctor Rochus Campo Frio, Vicarius & Iudex Apoſtolicus domus & Aulæ Sereniſſimi Domini Cardinalis Archiducis Alberti, vigore præſentium ordinamus & mandamus*

 mus

mus omnibus Capellanis Altaris, Cantoribus, Miniſtris minoribus, & pueris Capellæ, & quibuſcumque alijs perſonis ſeruientibus in Capellâ Sereniſſimi Domini Cardinalis Archiducis, ne vadant, aut conſentiant ſe trahi coram quocumque Iudice, ſiue Eccleſiaſtico ſiue ſæculari, tam propter actiones ciuiles quàm criminales quaſcumque. Quinimò ſi aliqui eorum vel citant, vel citari procurant ad comparendum coram ſe, vt indilatè eorum forum declinent, & ad noſtrum Tribunal recurſum habeant, quatenus eos competenter defendamus. Quòd ſi quis huic noſtro Mandato contrauenerit, in rigore ſe nouerit caſtigandum. Sub eâdem quoque pœnâ mandamus Capellanis Altaris ſuæ Celſitudinis, & reliquis omnibus Cantoribus, in ordinibus ſiue maioribus ſiue minoribus conſtitutis, quatenus ſe præſentent nobis cum ſuis titulis & munimentis, ſi quæ habent, & cum dimiſſorialibus, ſiue teſtimonijs ſuorum Prælatorum: vt ijs viſis per nos procedatur ad id quod iuſtum erit. Actum Bruxellæ die X. *Auguſti anno* M. D. XCVII. Erat ſignatum: *El Doctor Campo Frio*. Et infrà: *De mandato dicti Domini: Iuan Fernandez Notarius publicus.*

III. Formula iuramenti, ad vſque Alberti & Iſabellæ Archiducum tempora præſtari ſoliti, hæc fuit:

Ego N. Sacellanus Oratorij futurus Sereniſſimorum Alberti & Elyſabethæ Archiducum Auſtriæ, Ducum Burgundiæ, Brabantiæ, &c. promitto, ſpondeo, & polliceor, atque iuro Deo optimo maximo, me de cætero fidele obſequium ac ſeruitium illis præſtiturum. Nec non ſi viderim, audiuerim, vel intellexerim, contra illorum vitam, famam, honores, poſſeſſiones & iura ac ius aliquid attentari, moliri, vel machinari, quantum diuino fultus adiutorio fuero, ſecundùm ſcire & poſſe meum, rectâ & purâ fide certiores facturum per me vel

vel per alios, vel eorum Capellanum Maiorem pro tempore exiſtentem; cui etiam debitam obedientiam promitto. Sic me Deus adiuuet, atque hæc Sancta Dei Euangelia. Alberto vitâ functo, prædictæ formulæ deinceps additum iuramentum fidelitatis erga Regem.

In hunc igitur modum aſſumti in obſequium Principis Capellani gaudent & altero haud minori priuilegio, quod Philippus Bonus primùm quindecim perſonis circa veniam aſſiduitatis ſeu reſidentiæ exemptionem impetrauit; vt conſtat ex his eius litteris, quas vocant *Significamus*, anni M. CCCC. XXI. *Philippus Dux Burgundiæ, Comes Flandriæ, Arteſiæ & Burgundiæ Palatinus, Dominus de Salinis, & de Mecliniâ, Capitulo B. Mariæ Lenſenſis, Atrebatenſis Diœceſis, ſalutem & dilectionem. Cùm nobis à Sede Apoſtolicâ ſit indultum, vt quindecim perſonæ Eccleſiaſticæ, noſtris inſiſtentes obſequijs, fructus, redditus & prouentus omnium beneficiorum ſuorum Eccleſiaſticorum, etiamſi Dignitates, Perſonatus ſeu officia exiſtant, curáque eis immineat animarum, cum eâ poſſint & debeant integritate percipere & habere, ac ſi in Eccleſijs, in quibus eiuſmodi beneficia obtinent, perſonaliter reſiderent, quotidianis diſtributionibus dumtaxat exceptis; non obſtantibus, quòd dictæ perſonæ continuam in dictis Eccleſijs non fecerint reſidentiam, ſeu aliter quibuſuis contrarijs conſuetudinibus vel ſtatutis Eccleſiarum ipſarum, iuramento aut quauis Sedis Apoſtolicæ auctoritate vallatis; etiamſi dictæ perſonæ de illis ſeruandis & non impetrandis Apoſtolicis litteris contra ea, & de eiſdem litteris etiam ab alio impetratis non vtendo præſtiterint iuramentum. Significamus vobis, quòd dilectus Capellanus noſter D. Petrus de Roſay, dictæ Eccleſiæ veſtræ Decanus, de numero dictarum perſonarum ab anno citra & ampliùs* IV.

dictis obſequijs noſtris continuè inſiſtit, & adhuc inſiſtere dignoſcitur. Quocircà vos requirimus & rogamus, quatenus eidem Petro, vel eius procuratori pro eo, fructus ſui Decanatus, quos in Eccleſiâ præfatâ noſcitur obtinere, liberetis, ſeu fructus integrè liberare faciatis, iuxta formam indulti ſupradicti. Datum Inſulis XXI. *die menſis Aprilis, anno Domini* M. CCCC. XXI. *poſt Paſcha.* Signatum: *Philippus.* & inferiùs: *Io. de Grandum Secretarius.*

V. Carolus deinde Dux, Philippi Boni Filius, Legatis ſuis ad Sixtum Papam IV. iniunxit anno M. CCCC. LXXIV. *rogarent eum, vti nominationem vellet impertiri pro centum pluribúſve perſonis, ad beneficia ditionis ſuæ, & quæ fructus in eâ percipiunt, vt famulis ſuis conſulere, liberiſque eorum & propinquis poſſet, quemadmodum iam antè idem à Sanctis Patribus Martino, Eugenio & Nicolao conceſſum quondam fuerat Domino ac Patri eius.* Verùm eiuſmodi indultum pro centum perſonis non videtur obtinuiſſe à Pontifice, ſed pro triginta dumtaxat; quandoquidem Maximilianus Auſtriacus eius Gener, & per vxorem Mariam Belgarum & Burgundionum Princeps, huius tantùm numeri meminerit in litteris eiuſdem argumenti ad Capitulum Eccleſiæ Collegiatæ Sancti Petri in oppido Louanienſi, eâ tempeſtate Leodienſis Diœceſis; ait enim: *Cùm nobis à Sanctâ Sede Apoſtolicâ ſit indultum, vt triginta perſonæ Eccleſiaſticæ, noſtris inſiſtentes obſequijs, quorumcumque beneficiorum noſtrorum Eccleſiaſticorum, etiamſi Canonicatus & Præbendæ, Dignitates, Perſonatus, adminiſtrationes, vel officia in Cathedralibus vel Collegiatis Eccleſijs exiſtant, curaque eis immineat animarum, fructus, redditus & prouentus cum eâ poſſint & debeant integritate percipere & habere, ac ſi in Eccleſijs, in quibus beneficia*

Digitized by Google

beneficia huiuſmodi obtinent, perſonaliter reſiderent, quotidianis diſtributionibus dumtaxat exceptis: non obſtante, quòd dictæ perſonæ primam & conſuetam in dictis Eccleſijs non fecerint reſidentiam perſonalem, ſeu alijs quibuſcumque conſuetudinibus vel ſtatutis; etiamſi dictæ perſonæ de illis ſeruandis, & de non impetrandis Apoſtolicæ Sedis litteris contra ea, ac de eiſdem etiam ab alio impetratis non vtendo præſtiterint iuramentum, cæteris in contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcumque. Significamus vobis, quòd dilectus noſter Conſiliarius & Chirurgicus Magiſter Laurentius Bruyninck, Cantor Eccleſiæ veſtræ prædictæ, de numero dictarum triginta perſonarum exiſtens, ab anno citra & ampliùs noſtris continuò inſtitit ſeruitijs, prout inſiſtere adhuc dignoſcitur de præſenti. Quapropter vos requirimus, vobis nihilominùs expreſſè mandantes, quatenus prædictum Magiſtrum Laurentium, quem vnum de prædictis triginta perſonis duximus nominandum, fructibus, redditibus & prouentibus prædictæ Cantoriæ Eccleſiæ veſtræ prædictæ, per ipſum vel procuratorem ſuum plenariè & integrè leuandis & percipiendis, vti & gaudere faciatis, & permittatis pacificè pariter & quietè iuxta formam indulti ſupradicti.

Poſtmodum Carolus Archidux Auſtriæ, Philippi Pulchri Filius, Maximiliani I. Imp. Nepos, ac dein ipſemet Imperator Carolus V. ab Leone Papa X. ampliſſimæ facultatis indulto donatus eſt pro centum perſonis; cuius formam ac tenorem & hîc quoque repræſentamus. VI.

LEO *Epiſcopus, Seruus Seruorum Dei, Dilecto filio, Nobili viro Carolo Archiduci Auſtriæ Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Exigunt ſinceræ deuotionis affectus & inte-*

gra

gra. fides, quibus Nos & Romanam Eccleſiam reuereris, vt Tui conſideratione tuis obſequijs inſiſtentes, ſpiritualibus fauoribus & gratijs proſequamur. Hinc eſt, quòd Nos volentes Te (qui etiam es Hiſpaniarum Princeps) fauore proſequi gratioſo, & à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti, alijsque Eccleſiaſticis ſententijs & cenſuris, & pœnis à iure vel ab homine, quauis occaſione vel cauſá latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtis, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum; harum ſerie abſoluentes, & abſolutum fore cenſentes, centum perſonis, per Te pro tempore eligendis & nominandis, quoad ſeruitijs & obſequijs tuis inſtiterint, vt omnes & ſingulos fructus, redditus & prouentus omnium & ſingulorum beneficiorum Eccleſiaſticorum cum curâ & ſine curâ, etiam ex fundatione, dotatione, ſtatutis, conſuetudinibus, priuilegio, aut aliàs perſonalem reſidentiam continuam requirentium; quæ etiam ex quibuſuis diſpenſationibus Apoſtolicis, in quibuſuis Eccleſijs ſiue locis obtinent, & in poſterum obtinebunt; etiamſi Canonicatus & Prabendæ, Dignitates, Perſonatus, adminiſtrationes vel officia in Cathedralibus, etiam Metropolitanis, poſt Pontificales Maiores, aut Collegiatis Eccleſijs huiuſmodi, principales fuerint, & ad illas & huiuſmodi Perſonatus adminiſtrationes & officia conſueuerint qui per electionem aſſumi, eisque cura immineat animarum; cum eâ integritate (quotidianis dumtaxat diſtributionibus exceptis) liberè percipere valeant, cum quâ illas perciperent, ſi in Eccleſijs huiuſmodi ſiue locis perſonaliter reſiderent, ac Diuinis intereſſent; & ad reſidentiam & Diuinis intereſſendum interim in eiſdem minimè teneantur, nec ad id à quoquam inuiti valeant coarctari, auctoritate Apoſtolicâ tenore præſentium indulgemus. Et nihilominùs dilectis filijs Sanctæ Gertrudis Louanienſis, & de

Echout

Digitized by Google

Echout Brugenſis Abbatibus ac Præpoſito, per Præpoſitum ſoliti gubernari Sancti Iacobi de Frigido Monte Bruxellenſis, Oppidorum, Leodienſis, Tornacenſis, & Cameracenſis Diœceſis Monaſteriorum, per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ipſi, vel duo aut vnus eorum, per ſe vel alium vel alios faciant auctoritate noſtrâ, perſonis per Te nominandis præfatis, & cuilibet eorum, & ipſarum procuratoribus, pro eis fructus, redditus & prouentus huiuſmodi iuxta noſtræ conceſſionis tenorem integrè miniſtrari; non permittendo eas per locorum Ordinarios, nec non dilectos filios ipſarum Eccleſiarum, Capitula ſeu quoſuis alios ad reſidentiam in eiſdem Eccleſijs ſiue locis inuitos compelli, vel aliàs contra conceſſionis noſtræ tenorem quomodolibet moleſtari; contradictores per cenſuram Eccleſiaſticam appellatione poſtpoſitâ compeſcendo. Non obſtante, ſi perſonæ prædictæ in Eccleſijs ſiue locis huiuſmodi primam non fecerint reſidentiam perſonalem conſuetam, ac fundatione, dotatione, ſtatutis, conſuetudinibus, priuilegijs & alijs permiſſam: Nec non felicis recordationis Bonifacij Papæ Octaui, Prædeceſſoris noſtri, per quam conceſſiones huiuſmodi fieri ſine præſcriptione temporis prohibentur, & alijs tam Apoſtolicis, quàm Prouincialibus, & Synodalibus Concilijs editis, generalibus vel ſpecialibus Conſtitutionibus & Ordinationibus: Nec non Eccleſiarum prædictarum iuramento, confirmatione Apoſtolicâ vel quauis firmitate alijs roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, etiamſi dictæ perſonæ de illis obſeruandis & non impetrandis litteris contra ea, ac litteris huiuſmodi, etiam ab alio vel alijs impetratis, ſeu aliàs quouis modo conceſſis, non vtendi per ſe vel earum procuratores præſtiterint hactenus, vel in poſterum præſtare contigerit forſitan iuramentum. Seu ſi locorum Ordinarijs ab Apoſtolicâ ſit Sede conceſſum, vel in poſterum

O *concedi*

concedi contigerit, quòd Canonicos & perſonas Eccleſiarum ſuarum ciuitatum, & Diœceſium, etiam in Dignitatibus, Perſonatibus, adminiſtrationibus, officijs conſtitutos, per ſubſtractionem ſuorum prouentuum, Eccleſiaſticorum beneficiorum, vel aliàs compellere valeant ad reſidendum perſonaliter in eiſdem. Aut ſi Ordinarijs & Capitulis præfatis, vel quibuſuis alijs communiter vel diuiſim, ab eâdem ſit Sede indultum, vel in poſterum indulgeri contigerit; quòd Canonicos & perſonas Eccleſiarum ipſarum cum Dignitatibus, Perſonatibus, adminiſtrationibus, vel officijs conſtitutis non reſidentibus in eiſdem, aut qui in eis primam non fecerint reſidentiam perſonalem conſuetam, fructus, redditus & prouentus Canonicatuum & Præbendarum aut Dignitatum, Perſonatuum, adminiſtrationum, vel officiorum, aliorumque beneficiorum Eccleſiaſticorum dictarum Eccleſiarum miniſtrare minimè teneantur, & ad id compelli: & quòd interdici, ſuſpendi vel excommunicari non poſſint per litteras Apoſtolicas, non facientes plenam & expreſſam de verbo ad verbum mentionem de indulto huiuſmodi, & quibuſlibet alijs priuilegijs, indulgentijs, & litteris Apoſtolicis generalibus & ſpecialibus, cuiuſcumque tenoris exiſtant, per quæ præſentibus non expreſſa vel totaliter non inſerta, effectus huiuſmodi gratiæ impediri valeat quomodolibet vel deferri; & de quibus quocumque locis, tenoribus habenda ſit in noſtris litteris mentio ſpecialis. Prouiſo, quòd beneficia huiuſmodi propterea debitis non fraudentur obſequijs, & animarum cura, motis quibus immineat, nullatenus negligatur; ſed per bonos & ſufficientes Vicarios, quibus de beneficiorum ipſorum prouentibus neceſſaria congruè miniſtrentur, cura animarum diligenter exerceatur, deſeruiaturque inibi laudabiliter in Diuinis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ abſolutionis, indulti &

mandati

Digitized by Google

mandati infringere. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo quinto decimo, tertio Nonas Iulij, Pontificatus noſtri anno tertio.

Hoc fretus indulto Philippus II. Rex Catholicus, anno M. D. LXXXVIII. ad Præſidem & Conſiliarios Sanctioris Conſilij ſui Bruxellenſis litteras dedit in hanc planè ſententiam: VII.

Chariſſimi & Fideles; Libellus ſupplex hic adiunctus, atque oblatus per Protonotarium de Grobendoncq, Ordinis noſtri Cancellarium, & circa noſtram perſonam Conſiliarium pro negotijs noſtris Belgicis & Burgundicis, in cauſâ quam coram vobis pendere dicit aduerſus Capitulum Tornacenſe in quo eſt Canonicus, nobis dat iuſtam occaſionem vobis mandandi, vt ſitis accurati (quod futurum confidimus) in manutenendo ac defendendo priuilegio & indulto quod habemus, retinendi in noſtro ſeruitio numerum centum perſonarum Eccleſiaſticarum, quas non obſtante earum abſentiâ debent ſequi fructus beneficiorum, ſi quæ obtinent. Et quòd idcircò inuigilabitis quàm citò deciſioni ac terminationi dictæ cauſæ, omni adhibitâ conſideratione conuenienti; vt iura noſtra dicti priuilegij & indulti nullum præiudicium patiantur, néve quid à vobis hac in parte deſideretur. Chariſſimi & Fideles, Dominus ſit veſtra cuſtodia. Ex Sancto Laurentio XII. *Octobris* M. D. LXXXVIII. N. D. v[t]. Subſcriptum, *Philippus*. Et inferiùs ſignatum, *A. De Laloo.*

Ijſdem indultis ac priuilegijs Pontificum Romanorum vſa eſt Iſabella Clara Eugenia, Philippi II. Regis Filia, & mortuo coniuge Alberto Belgarum & Burgun- VIII.

dionum Gubernatrix; ita enim reſcripſit aliquando ad Capitulum & Canonicos S. Gaugerici Cameracenſis:

Venerabiles, Chari, & Dilecti, vidimus epiſtolam & rationes in eâ contentas, quibus vos excuſatis ne Locumtenenti Capellæ noſtræ, Confratri veſtro, ſinatis percipere fructus quibus fruitus eſt, ex quo hîc retentus fuit in obſequio noſtro. Et quoniam nullam in eis agnouimus, ob quam eius iuri antehac à vobis acceptato difficultatem aliquam modò obijceretis (quandoquidem in eâdem qualitate noſtris obſequijs pergat inſeruire) notum vobis eſſe volumus, nobis à veſtrâ parte minimè ſatisfactum in eo quod cordi nobis eſſe ſignificauimus. Quodque idcircò rectè facturi ſitis, ſi ad requiſitionem noſtram vos aliorum Capitulorum exemplis conformaueritis, cùm & nos prævalere poſſimus iuribus & priuilegijs, quæ Capellani noſtri habent ex Indultis Apoſtolicis; quorum debetis expectare executionem, niſi cognoſcatis in melius, quod veſtri officij eſt ac rationis. Deus vos habeat in ſuâ cuſtodiâ. Bruxellæ XII. *Martij* M. DC. XXV. Ma. v^t. Signatum, *A. Iſabel.* Et inferiùs, *A. De la Faille.*

Ad eoſdem Canonicos in pari cauſâ ante annos viginti extant etiam litteræ Philippi IV. Regis, & emanant etiamnum quotidie in formâ, quam vocant *Significamus*, ſeu tenoris ſubſequentis:

Philippus Dei gratiâ Rex Caſtellæ, &c. Venerabilibus ac Dilectis noſtris, Præpoſito, Decano, Canonicis & Capitulo Eccleſiæ Collegiatæ Sancti Gaugerici oppidi Cameracenſis, ſalutem & dilectionem. Cùm nobis à Sanctâ Sede Apoſtolicâ ſit indultum, vt centum perſonæ Eccleſiaſticæ, noſtris inſiſtentes obſequijs, fructus, redditus & prouentus omnium ſuorum beneficiorum quorumcumque, etiamſi Eccleſiaſticæ Dignitates, Perſonatus, adminiſtrationes, vel officia exiſtant, aut curam habeant

habeant animarum, cùm eâ poſſint vel debeant integritate percipere & habere, ac ſi in Eccleſijs ſeu locis, in quibus eiuſmodi beneficia vel officia obtinent, perſonaliter reſiderent, quotidianis dumtaxat diſtributionibus exceptis; non obſtante, quòd dictæ perſonæ in dictis Eccleſijs, ſiue locis, primam & conſuetam non fecerint reſidentiam perſonalem, ſeu alijs quibuſcumque conſuetudinibus, oneribus vel ſtatutis ipſarum Eccleſiarum iuramento, confirmatione Apoſtolicâ, aut quauis aliâ firmitate vallatis, etiamſi dictæ perſonæ de illis ſeruandis & non impetrandis Sedis Apoſtolicæ litteris, etiam ab alio impetratis, non vtendi corporale præſtiterint iuramentum. Significamus vobis, quòd dilectus noſter Magiſter Caullier, Preſbyter, director muſices noſtræ Capellæ, & Canonicus veſtræ Eccleſiæ, ac de numero dictarum perſonarum centum exiſtens, certis anteactis temporibus noſtris inſtitit, quemadmodum & adhuc continuò inſiſtit obſequijs. Quocircà à vobis requirimus, vobis nihilominùs mandantes, quatenus prædicto Magiſtro Carolo Caullier, vel procuratori ſuo legitimo pro eo, de fructibus, redditibus, prouentibus, iuribus & obuentionibus vniuerſis prædicti ſui Canonicatus reſpondeatis, ſeu ab alijs, quantum ex vobis fuerit, plenariè & integrè reſpondere faciatis, iuxta prædicti noſtri Indulti Apoſtolici formam atque tenorem; nam nobis ita placet. Datum in oppido noſtro Bruxellenſi die X. *menſis Octobris, anno Domini* M. DC. XXX. *Regni decimo.* Boiſſ. v^t. Signatum, *G. de Berti.*

Eiuſmodi ſunt munimenta ſeu tituli, quibus freti Capellani, fructibus præbendarum fruuntur, licet minimè adſint, & obſequio Principis diſtenti, cæterorum exemplo in Collegijs quibus adſcripti ſunt, proprio ſibi miniſterio non fungantur. Idque adeò obtinuit in Re-

Acta Capitularia Eccleſiæ Cathedralis Cameracenſis annis M. CCCC. XXXVI. XXIII. Maij, & M. CCCC. XXXVII. XIII. Iunij; & Capituli Lenſenſis VIII. Iunij M. CCCC. XXII. ac XIX. eiuſdem mẽſis M. CCCC. XXIII.

gijs harum Prouinciarum Conſilijs, præſertim in Sanctiori ſeu Priuato, vt plurimæ his de rebus inter Capellanos Regios & Collegia Canonica controuerſiæ in Capellanorum gratiam diremtæ fuerint. Vti aduerſus Collegium Lenſenſe in Arteſiâ, & Cameracenſe S. Gaugerici haud ſemel iudicatum eſt, etiam ante annos fermè decem; cùm Caroli Caullier, Sereniſſimi Ferdinandi temporibus in Capellâ Regiâ Magiſtri Cantus, abſentia haudquaquam ei noxia contra prædictos S. Gaugerici Canonicos declarata eſt decreto ſingulari XX. Martij anno M. DC. XL.

CAPVT XIII.

Ritus Capellæ Regiæ, tum ordinarij tum extraordinarij, compendio expreſſi.

I. *Fœderum Sanctiones in Capellâ Regiâ firmatæ.*
II. *Inueſtituræ Equitum Inclyti Velleris aurei.*
III. *Solemnitas annua Natalis Andreani.*
IV. *Magnatũ Connubia, & Luſtrationes ſeu Baptiſmi.*
V. *Regiorum cadauerum depoſitiones.*
VI. *Auguſtorum & Regiæ Prolis ſolemnes Exequiæ.*
VII. *Epiſcoporum Conſecrationes.*
VIII. *Horum Rituum Magiſtri ac Moderatores.*

I. SVPEREST, vt priuſquam manum de tabulâ moueam, addam quoque de ritibus nonnulla; ſed pauca, & quorum meminiſſe alibi fors non tulit. Nempe ſæculi præſentis rebus in orbem redeuntibus, aliquando fortaſſe ex vſu erit oculos huc aduertere, & imitari veterum geſta, aut, ſi Deo placet,

placet, etiam ſuperare. Sileo de his, quæ Diaria Libríve Rituales habent, paucis exceptis, quæ ob deperditos malo fato Codices, ex Aduerſarijs hiſce mutuari operæ pretium erit.

Capellæ vix perfecta moles erat, cùm Inducijs in Valcellenſi Monaſterio inter Carolum V. Imperatorem, Philippum Filium tum ſolùm Angliæ atque Siciliæ, & Henricum II. Francorum Reges initis, & pactis anno M. D. LV. ijs firmandis & iuramento adhibito ſtabiliendis deſtinatus in Belgium aduenit Gaſpar Colinius, Franciæ Thalaſſiarchus. Atque adeò Martij die XXVI. Miſſæ Sacrificio ab Antonio Perrenoto, Atrebatenſi Epiſcopo, in Capella Regiâ Bruxellenſi celebrato, Rex Philippus II. qui eidem intra Oratorium ſuum ſiue Conopeum interfuerat, ad Aræ gradus acceſſit, ibique Sacrorum Euangeliorum Codici, præbente Epiſcopo, manus impoſuit, & iureiurando pacta conuenta obſeruaturum ſe promiſit.

Iam fermè viginti anni ſunt elapſi, ex quo in Capellâ II.
Regiâ Equitum Ordinis Velleris aurei inueſtituræ fieri ſolent. Incepit enim, ni fallor, iſte ritus anno M. DC. XXVIII. ipſis Auguſti Kalendis, cùm Ioanni Comiti Naſſauio impoſitus humeris Torques fuit; pretium non vile ſuſceptorum ab eo, poſt reditum ad Orthodoxam Fidem, pro Republicâ Chriſtianâ laborum. Id primùm factum in Capellâ Regiâ memoratur procurante Philippo Arſchotano Duce, qui vti antiquior Torquem imponebat; cùm antè in veſtibulo Magnatum, ſuperſtite Alberto Pio, cæremoniæ eiuſmodi fierent patentibus oſtijs, & Sereniſſimâ Coniuge Iſabellâ cum illuſtri Gynæceo è vicino cubiculo quæ gererentur accuratè obſer-

Digitized by Google

obſeruante. His verò peractis cæremonijs, moris erat in Capellam ingredi, & Officio Diuino intereſſe, ritu fuſiùs in Hiſtoriâ Inclyti Ordinis à nobis memorando.

III. At vetuſtior eſt annua Natalis Andreani ſolemnitas, in eâdem Capellâ peragi ſolita; de quâ licet vberiùs in prædictâ Hiſtoriâ acturi ſimus; hoc tamen ſcire haud ingratum erit, nempe ſingulari Philippi IV. Regis priuilegio, Proceribus eiuſdem Ordinis Miniſtriſque, qui in Belgio tum verſarentur conceſſum, datis Mantuæ Carpetanorum litteris die XXVI. Nouemb. anno M. DC. XXXI. vti Aureo Torque, quemadmodum anteà eo die inſignes veſtes, inſuper holoſericas purpureas phrygij operis ferrent, haud ſecùs atque olim, cùm Ordinis Comitia ante Philippi II. in Hiſpaniam reditum celebrarentur. Sacris itaque interſunt, ex Conſtitutionibus Ordinis, Equites & Miniſtri, eo veſtitu ſingularibus ſcamnis inſidentes: Equites quidem vicino Cortinæ Regiæ, Miniſtri verò ſedili oblongo, in imâ Capellæ nauis parte tranſuerſim acto, vti iam ſuprà dictum. Pro dignitate feſtæ lucis Offertorium & Concio fit de magni Burgundionum Apoſtoli laudibus, gentis eiuſdem ſiue Burgundicæ linguâ, quæ vnà cum Ordine ad Auguſtiſſimam Auſtriacorum Familiam migrauit, ſine vllo vel Hiſpanici vel Germanici ſermonis damno, cùm cæteris diebus in eâdem Capellâ pro arbitrio Principis, quauis linguâ Homiliæ Sacræ habeantur.

IV. De Magnatum Connubijs & hoc notandum, quod Alberti atque Iſabellæ temporibus obtinuit. Futuri coniuges, ſi non iungerentur matrimonio intra Oratorium, quod ſæpè vſu venit, Sacro intererant in Capellâ cum ijſdem Principibus; neque tunc Cortina vlla erat, intra

intra quam conſiderent, neque ſcamna per Sacellum poſita. Idem ritus ſeruatus fuit anno M. DC. XV. die XXVII. Aprilis, cùm Comes à Furſtemberg vxorem duxit Catharinam Liuiam de la Verdatiere, ex Parthenone Sereniſſimæ Infantis Iſabellæ. Et anno M. DC. XXVII. Carolus Philippus Croyacus, Rentiaci Marchio, ritu Eccleſiæ ſolemni in Oratorio eiuſdem Sereniſſimæ Iſabellæ matrimonio iunctus eſt Mariæ Claræ Croyacæ, Haurechij Marchioniſſæ; quam peractis cæremonijs Regio nomine Ducillam Iſabella declarauit.

Sequuntur eorumdem Magnatum Luſtrationes, ſeu Baptiſmi, quorum mentio apud Vandeneſſium in Diario Vitæ Caroli V. hiſce verbis: IV. *Septembris* M. D. XLIX. *Carolus V. Imp. vnà cum filio Principe Philippo, ac Franciæ Reginâ, de Fonte ſacro leuarunt filium Ducißæ Arſcotanæ tunc viduæ, baptizatum in Capellâ Bruxellenſi ab Epiſcopo Atrebatenſi, indito nomine Caroli Philippi.* XVII. *Februarij* M. D. L. *itidem baptizatus filius Comitis Mansfeldij, quem idem Princeps & Franciæ Regina ſuſceperunt, Philippum nomine.* In eâdem Capellâ Bruxellenſi, Mariâ Medicæâ Francorum Reginâ, & Iſabellâ Clarâ Eugeniâ Hiſpaniarum Infante præſentibus, Philippo Eugenio, Caroli Philippi & Mariæ Claræ Haurechij Ducum filio, nomen imponi videre licuit anno M. DC. XXX.

Huc etiam reuocari debent Regiorum cadauerum depoſitiones, quarum tres ætate noſtrâ vidimus: Primam quidem Sereniſſimi Archiducis Alberti; cuius corpus indutum veſte monaſticâ Ordinis Franciſcani, & lecticæ inauratæ impoſitum, quatriduo iacuit in medio Ca- V. Miræus de Vitâ Alberti.

P pellæ,

pellæ, ac deinde in ædiculâ ſacrario ſubiectâ depoſitum, cum hac Epigraphe inſertâ loculo plumbeo:

ALBERTI ARCHIDVCIS AVSTRIÆ,

BVRGVNDIÆ BRABANTIÆQVE DVCIS, BELGARVM DOMINI, ET IMPERATORVM MAXIMILIANI II. ET FERDINANDI I. AVGVSTORVM FILII, NEPOTISQVE; ISABELLÆ CLARÆ EVGENIÆ; PHILIPPI II. HISPANIARVM INDIARVMQVE MONARCHÆ FILIÆ, MARITI; PIETATE, IVSTITIA, CLEMENTIA MAGNI ET ÆTERNVM MEMORANDI PRINCIPIS EXVVIÆ MORTALITATIS, IMMORTALITATIS GLORIAM BEATÆ RESVRRECTIONIS IN SPE HIC EXPECTANT. VIXERAT ANNOS LXI. MENS. VIII. DIEM I. REXERAT RELIGIOSE PRVDENTERQVE ANNOS XXV. OBIIT VERVM CHRISTIANI PRINCIPIS EXEMPLAR ANNO CHRISTIANO M. DC. XXI. III. IDVS IVLII.

Corpus maximâ pompâ, qualem Belgica numquam vidit, ne in funere quidem Caroli V. Cæſaris, maiori vrbis Bruxellenſis Baſilicæ, quæ D. Gudulæ ſacra, menſe Martio anni ſequentis eſt illatum.

Altera depoſitio fuit Sereniſſimæ Iſabellæ Claræ Eugeniæ, Hiſpaniarum Infantis, & Belgij quondam ac Burgundiæ Dominæ; quæ tametſi ſupremis tabulis in eodem

dem templo Maiori D. Gudulæ tumulum apud Albertum Pium Coniugem elegiſſet, imperaſſetq; in eam rem Sacellum à fundamentis extrui ac dotari; tamen ob aduerſitatem temporum dilatâ eiuſmodi operis executione, totos annos XVII. quieuit retro poſt Altare Capellæ Regiæ, donec XIII. Ianuarij M. DC. L. Pijſſimæ Principis funus tranſlatum ad D. Gudulæ, noctu, & ſine pompâ. Verùm, quæ noſtri eſt inſtituti, exportandi cadaueris in Capellam ratio hæc fuit, vt nimirum ſuccollantibus Aulæ Præfectis per mediam Tribunam (de quâ alibi) in mediâ Capellæ naui Regio cubili ſeu Conopeo ad hoc deſtinato imponeretur: quod alioqui Nobilium Cubiculariorum eſt in Funeribus Principum virorum; ſed Auguſtæ nullos habent. Par enim aduerſus extinctum Principem atque erga ſuperſtitem eſt reuerentia; vnde nemini accedere propiùs quàm anteà licet, Capellanis Honoris, & corporis Cuſtodibus, perinde ac ſi viueret, cadaueri proximè adhærentibus. Exportationi aderant maximi quoque Proceres, ipſéque adeò Gaſto Dux Aureliæ, Ludouici XIII. Francorum Regis Frater, cereum manu præferens.

Suprà cap. XI. num. IV.

Vidimus & ibi deponi ad menſes aliquot Sereniſſimi Ferdinandi Hiſpaniarum Infantis funus, qui ſupremo item elogio moriens anno M. DC. XLI. collocari ibi apud amitam voluerat, donec in Eccleſiam Toletanam transferretur, in Sacello B. Virginis de Sacrario tumulandus. Adhibitæ autem vtrobique fuerunt cæremoniæ; nempe, vt poſt conditum aromatibus cadauer, vbi condiri debet (nec enim id Iſabellæ Claræ Eugeniæ caſtitas poſt fata tulit) & poſt triduanam Regiâ pompâ exhibitionem, vni pluribúſve loculis, multis ſeris obſignatis,

includatur, quarum tres claues maximis, atque ad hoc electis Proceribus publicè traduntur. Cùm verò tempus tranſlationis acceſſit,& cadaueris aſportandi alicui à Rege cura demandata eſt, tum accerſitis iterùm qui depoſitioni interfuerant, aperitur loculus, ac ritè recognito cadauere, traditur Proceri cui eius deductio incumbit, actu publico eâ de re, & ſecutâ traditione, conſcripto.

Vt verò cuius Principis exuuiæ ſint, meliùs compertum ſit, ſolent, vt in Alberto factum iam oſtendimus, inſcriptiones loculis inſeri. Atque Iſabellæ Claræ Eugeniæ hæc fuit:

DEO ET SACRÆ MEMORIÆ MAGNÆ PRINCIPIS ISABELLÆ CLARÆ EVGENIÆ D. G. HISPANIARVM INFANTIS, PHILIPPI II. REGIS FILIÆ, CAROLI V. IMPERATORIS NEPTIS, REGVM PHILIPPI III. ET IV. SORORIS ET AMITÆ; ALBERTI PII ARCHIDVCIS AVSTRIÆ, PRINCIPIS BELGARVM, PIENTISSIMÆ CONIVGIS, SANCTIMONIÆ, SAPIENTIÆ, CLEMENTIÆ, CÆTERARVMQVE, DVM VIXIT IN TERRIS, COELESTIVM VIRTVTVM INCOMPARABILIS HEROINÆ, MORTALES EXVVIÆ HIC SITÆ SVNT. VIXERAT IN SOLATIVM OMNIVM ANNIS LXVII. MENS. III. DIEBVS XVIII. DEVIXIT SVMMO CVNCTORVM CVM MOERORE CALEND. DECEMB. M. DC. XXXIII.

Ferdi-

Digitized by Google

Ferdinandi autem Hiſpaniarum item Infantis Sarcophago ſubiecta inſcriptio fuit affixa ſtylo Excellentiſſimi Domini Philiberti Eſtenſis, & Sancti Martini Marchionis, Nobilium eiuſdem Cubiculariorum Primicerij, Equilis ſummi Præfecti, Ordinis Velleris aurei Equitis, & cadaueris ipſius in Hiſpaniam tranſuectioni poſtcà ſecutæ deſtinati.

DEO OPTIMO MAXIMO,

ET SACRÆ MEMORIÆ OPTIMI PRINCIPIS FERDINANDI D. G. HISPANIARVM INFANTIS, S. R. E. DIAC. CARD. TIT. S. MARIÆ IN PORTICV, ET ARCHIEPISCOPI TOLETANI, PHILIPPI II. III. ET IV. CATHOLICORVM REGVM NEPOTIS, FILII, FRATRIS; PIETATE, IVSTITIA, CLEMENTIA INCLYTI, ET ÆTERNVM MEMORANDI: QVI CATALONICÆ PRINCIPATV, DVCATVQVE MEDIOLANENSI FELICITER ADMINISTRATIS; SVECIS ALIISQVE HÆRETICIS S. R. I: ET AVGVSTÆ GENTIS AVSTRIACÆ HOSTIBVS PER GERMANIAM AD NORDLINGAM VII. SEPTEMB. ANNO M. DC. XXXIV. PROFLIGATIS, BELGIVM TANDEM ET BVRGVNDIAM REXIT RELIGIOSE PRVDENTERQVE ANNOS VII. VIXIT ANNOS XXXII. MENSES V. DIES XXIV. DEVIXIT BRVXELLÆ IN BRABANTIA, VERVM CHRISTIANI PRINCIPIS EXEMPLAR, ANNO M. DC. XLI. V. IDVS NOVEMB. EXVVIÆ MORTALITATIS ILLIVS, IMMORTALITATIS GLORIAM BEATÆ RESVRRECTIONIS IN SPE HIC EXPECTANT.

Digitized by Google

VI. Sed & Exequiæ Regum, & Auguſtorum, Reginarumque in Capellâ Regiâ fieri magno cum apparatu ſolent; quemadmodum anno M. D. LXIX. die IV. Ianuarij, Albano Duce Belgium regente, de Iſabellæ Valeſiæ Francorum Reginæ laudibus in eâ dixit Franciſcus Richardotus, Atrebatenſis Epiſcopus: ac ſequenti die eiuſdem anni de Caroli Principis Hiſpaniarum immaturo funere idem Antiſtes. Similiter & anno M. DC. XII. Rudolphi II. Imp. Exequiæ illic peractæ, dicente de laudibus defuncti, coram Alberto & Iſabellâ Principibus, Paulo Boudoto, tunc Archidiacono Atrebatenſi; aliaſque ſæpiùs etiam temporibus noſtris, atque adeò nuper æternæ Ferdinandi II. item Imperatoris, deinde Iſabellæ Borboniæ Hiſpaniarum Reginæ, ac demum Balthaſaris Caroli Principis memoriæ, in eâdem Capellâ Regiâ peractum. Nemini prætereà is honor tribuitur; neque, exceptis Principibus, vlli, quantumuis excelſo miniſterio ſit, vmquam datur, ſi in Palatio mortem obeat, vel ad horam in loco vbi viuere deſierit permanere.

VII. Celebrata & illic magno cum apparatu haud vna Epiſcopi conſecratio. Vltimæ iam antè meminimus, quâ nempe Illuſtriſſimus Franciſcus Villani de Gandauo, poſt nobile obſequium in Aulâ Sereniſſimorum Archiducum Belgij, Burgundiæque Principum & Præſidum, ex plurium annorum fide atque integritate probatum, tandem ſolemni ritu & maximâ omnium Ordinum gratulatione Epiſcopus Tornacenſis inauguratus eſt.

Raiſſius in Belgicâ Chriſtianâ.

Sic Gisbertus Maſius Bommelenſis, vir dicendi maieſtate & orandi præſtantiâ clariſſimus, ex Theologo Loua-

Louanienſi Siluaducenſis Epiſcopus anno M. D. XCIII. Bruxellæ in ſacello Palatij conſecratus, præſente Archiduce Erneſto Belgij Gubernatore. Ioannes item Saracenus, Vedaſtini apud Atrebates Monaſterij Archimandrita, XVIII. Kalend. Ianuarij M. D. XCVI. Bruxellæ in Capellâ Regiâ Archiepiſcopus Cameracenſis inauguratus, coram Principe Alberto Pio, Belgij tunc Præfecto.

Sed & anno M. DC. XXVI. memoratu digna conſecratio Illuſtriſſimi Franciſci à Rya, Eccleſiæ Metropolitanæ Veſontinæ Decani Maioris, & Aulæ Archicapellani, & Summi Eleëmoſynarij, qui electus à Sacro Canonicorum Collegio Ferdinandi Archiepiſcopi Veſontini Patrui Coadiutor, annuente mox Pontifice Cæſareenſis Archiepiſcopus in Capellâ Regiâ conſecratus eſt. Iſabella Princeps, dignitatem inſigni munere gratulata, mitram ipſam nouo Antiſtiti obtulit, quam Rudolphus II. Imperator Alberto Pio, ipſius Iſabellæ poſteà Coniugi, ſed tunc ritè in Archiepiſcopum Toletanum vngendo, dono miſerat. Crucem quoque Reliquijs Beatorum inſtruxit ipſa, manuque ſuâ ſingulis nomina inſcripſit. Mitram poſteà Franciſcus Archicapellanus ad Baſilicam Metropolitanam Veſontinam S. Ioannis dono tranſmiſit.

VIII. Cæterùm memoratorum Rituum Magiſtri ac Moderatores floruêre ſub Sereniſſimis Alberto & Iſabellâ Principibus: *Franciſcus Verdugo*, Hiſpanus, Sacriſta Maior (titulo iſto tunc primùm in Aulâ Bruxellenſi, nec deinceps vſurpato) poſteà Cæremoniarum Magiſter admiſſus V. Iulij M. D. XCVI. *Didacus Ruyz*, Hiſpanus, eodem munere donatus XVIII. Decembris M. DC. II. poſteà

poſteà Secretarius Cubicularius Alberti. Ei ſucceſſit *Carolus Cornet*, Archidiaconus Cameracenſis, v Iunij M.DC. VII. Quo mortuo Cameraci I. Maij M. DC. XVIII. in eius locum ſuffectus eodem anno VIII. Septembris *Sebaſtianus Yſaual*, Hiſpanus, Legum Doctor. Et huic ſucceſſor datus *Carolus à Mansfelt*, Luxemburgenſis, Petri Erneſti Mansfeldij Comitis Filius, Regij Concilij in Ducatu Luxemburgenſi ex Equeſtri Ordine Conſiliarius, Regiorumque Exercituum in Belgio Vicarius Generalis. Sub Sereniſſimo Hiſpaniarum Infante Ferdinando prouinciam eiuſmodi obtinuit *Ioannes de Sandoual*, Eques Ordinis de Calatraua. Atque ad vltimum, Sereniſſimo Archiduce Leopoldo feliciter gubernante, Magiſtri Cæremoniarum munere cum laude fungitur *Henricus Tailler*, primùm Gandaui in D. Pharaildis, ac deinde Bruxellæ in D. Gudulæ Canonicus.

FINIS.

Digitized by Google

SACRÆ CONSTITVTIONES
PRO
CAPELLA REGIA
BRVXELLENSI,
ET
DIARIVM
OFFICII DIVINI,
ALBERTO
ET
ISABELLA
PRINCIPIBVS.

Digitized by Google

Digitized by Google

PRÆFATIO.

VT cum eâ quâ decet maieſtate, reuerentiâ & ordine Diuinum Officium in Sacello Suarum Celſitudinum peragatur; & miniſtrantes in eodem, Deo in primis acceptabile obſequium præſtent, pijſſimóque zelo ac deſiderio SS. CC. nec non muneri ſuo ſinguli ſatisfaciant; imò vt omnis confuſionis & ignorantiæ occaſio, ac peccandi licentia deinceps tollatur, viſum fuit perneceſſarium ante omnia definire, quid cuilibet ex officio ſuo incumbat, & nonnulla in ſcriptis redigere, quæ ſint inſtar legum; & quæ ab omnibus in poſterum de mandato SS. CC. exactè obſeruentur.

CAPVT PRIMVM.

De Capellano Maiori.

EST itaque primo loco Capellanus Maior; penes quem eſt ſuprema cura & auctoritas omnium eorum, quæ in Oratorio & Sacello SS. CC. ſunt peragenda; illorumque ſimiliter, qui ibidem miniſtrant & inſeruiunt: vt nimirum omnes honeſtè & exemplariter in vitâ, moribus & habitu ita ſe gerant, prout Dei miniſtros, & tantorum Principum decet; vtque officium ſibi commiſſum ritè & diligenter exequantur.

Digitized by Google

Ipſius etiam eſt, quotidie tempore Miſſæ, & ſingulis vicibus quando celebratur aliquod Officium, in quo Principes ſolent eſſe præſentes, eoſdem, ſi ſit pro Miſsâ ſolemni, vel Concione, pridie ſemper; vel ſi ſit pro Veſperis, ante prandium ad minus, præmonere de Officio quod eſt præ manibus: & præthereà eodem die circa horam Officij celebrandi, & ordinariæ Miſſæ priuatæ, indicare tempeſtiuè omnia eſſe parata.

Præthereà ipſi etiam incumbit, dare ordinariè aquam benedictam Principibus in ingreſſu Sacelli, vel cuiuſlibet alterius Eccleſiæ, exceptâ die Dominicâ; quoniam datur ad Altare ante Miſſam per Diaconum, vel per Epiſcopum, ſi aliquis ſit præſens:

Et benedicere menſæ in prandio & in cœnâ, cum alio Oratorij Capellano, vel cum duobus, ſi prandium vel cœna ſint in publico. Quæ prædicta duo per eum peraguntur, ſi modò ipſe ſit Sacerdos; alioquin per illum, cui SS. CC. placebit id committere.

Ipſius etiam eſt leuare ſemper è manibus famuli Oratorij velum de genuflexorio Principum, & dare ſaluam (vt vocant) ante oſculationem Euangelij, & Pacis.

Ipſius etiam eſt, de omnibus quæ ad Oratorium & Sacellum pertinent ad Principem referre, & eumdem conſulere:

Et in Communione Sereniſſimorum Archiducum dare mappam & vinum pro ablutione, & ſimiliter iiſdem Communionem ſimul in publico ſumentibus: & denique, vt Ordinationes Sacelli executioni mandentur, & accuratè obſeruentur, & tranſgreſſores puniantur; & ij qui officium ſuum laudabiliter peragunt, dignis honoribus & præmijs afficiantur.

CAPVT

CAPVT SECVNDVM.

De Sumelerio Cortinæ.

EST & Præfectus Cortinæ, quem vulgariter *Sumelerium Cortinæ* vocant; cuius officium eſt ſemper aſſiſtere Cortinæ quando Principes ſub eâ ſe exhibent in publico, ſiue in Sacello, ſiue in aliâ quacumque Eccleſiâ; & ipſis ſub eam ingredientibus vel egredientibus, vel ſub eâ ad Aſperſorium, Incenſorium, Euangelij & Pacis oſculum, vel ad aliud quodcumque officium ſubſiſtentibus, prouidebit ſemper à poſteriore parte eſſe ad latus Cortinæ, & aperire, vel contrahere Cortinam; & ſecundùm cæremonias Eccleſiæ vel ſtare in pedes, vel genu flectere; & in priuatis Miſſis SS. CC. circa Cortinam, modo prædicto, ab initio vſque ad finem (excepto Euangelio) eſſe ſuo loco flexis genibus.

CAPVT TERTIVM.

De Cæremoniarum Præfecto.

POST eos eſt Cæremoniarum Præfectus; cuius eſt particulatim habere curam totius Diuini Officij, & Cæremoniarum maximè exactam gerere rationem; celebrantes pro Miſſis, Veſperis, & reliquis tempeſtiuè deſignare; Conciones, habitâ præuiâ communicatione cum Capellano Maiore, & ipſe cum S. C. diſtribuere inter ipſos Concionatores; ornamentorum & totius ſupellectilis Oratorij & Sacelli SS. CC. diligentem rationem habere; &

Digitized by Google

quæ Cæremoniæ ſeruandæ diebus maximè ſolemnioribus, vel quando aliquod Officium extraordinarium eſt præ manibus, tempeſtiuè præmonere, & inſtruere, ac de rebus quæ circa ea ſunt neceſſariæ prouidere; nec non quæ ornamenta, & quot candelabra in Altari ſunt exponenda, in tempore ordinare; & ea omnia quæ ad munditiem, ſiue ornatum totius Sacelli & Officij Diuini celebrationem pertinent; ac in eo vnico intendere, vt Officium Diuinum, & omnes Cæremoniæ fiant ſecundùm Rubricas Breuiarij, Miſſalis, Pontificalis, & Cæremonialis Romani; exceptis ijs quæ Principibus exhibentur, quæ ſeruabuntur prout hactenus.

CAPVT QVARTVM.

De Capellanis Oratorij.

SVNT deinde Capellani Oratorij Principum; qui cùm locum eminentem in Oratorio & Sacello SS. CC. obtineant, ac ipſis Principibus ſint à Sacris; vtpote quorum eſt Miſſas priuatas pro ijs indies celebrare, & eas diebus ſolemnioribus canere ſubinde; nec non Veſperas, & reliquum Officium ad quod ordinantur perfectè intonare, ac canere; ac denique benedictioni menſæ SS. CC. hebdomadatim aſſiſtere; ita ipſis debet vnicè eſſe cordi, vt præ cæteris modeſtiâ, eruditione, & vigilantiâ, ac cultus Diuini peritiâ omnino præluceant. Quare meritò non alij ad huiuſmodi officium aſſumendi, quàm qui tam honeſto loco nati ſunt, & ita in pietate & doctrinâ excellunt, & in munijs Eccleſiaſticis ſunt fundati

dati

Digitized by Google

dati & exercitati, vt verè tanto loco digni eſſe, & munia quæ ipſis incumbunt ritè & exactè exequi poſſint.

Debebunt itaque omnino de legitimis natalibus, de vitâ & conuerſatione, nec non de reliquis qualitatibus requiſitis plenè probare; & aſſumti conſuetum Iuramentum fidelitatis & obedientiæ in manibus Capellani Maioris præſtare, præmiſſâ, iuxta præſcriptum S. Conc. Trident. Fidei profeſſione.

Et ſeruabunt ſinguli ordine ſuo, ſecundùm antiquitatem reſidentiæ, ſeptimanas ſuas pro Miſsâ ordinariâ, & Benedictione menſæ: nec ille ordo interrumpetur, etiamſi vices alicuius tempore abſentiæ ſuæ præterierint; quo caſu debebit expectare, donec ordo planè ſit finitus, & denuò ipſius redeant, ne ordo interrumpatur.

CAPVT QVINTVM.

De Famulis Oratorij.

SVNT & Famuli (vt vocant) Oratorij; quorum officium eſt præparare, & mundare tempeſtiuè Oratoria Principum, maximè circa diem Confeſſionis & Communionis; & omnium ornamentorum & vtenſilium, quæ in ijs ſeruiunt, diligentem curam & cuſtodiam habere:

Prætereà genuflexoria Principum, cum ſuo ſtrato, & puluinis ex holoſerico, & cum ſuo velo ex byſſo quo teguntur, cùm vel Miſſam, vel Veſperas, vel aliquod Officium Diuinum in Sacello vel extra audiunt, decenter ac concinnè, nec non tempeſtiuè loco ſuo ponere, ac poſtea denuò reponere. Et quando Principes agunt extraordinarium locum reſidentiæ, ipſorum eſt etiam Altare

vel

Digitized by Google

vel in itinere, vel in loco in quo hærent præparare; celebranti in Sacriſtiâ & in Altari miniſtrare, & ſubire ita officium Sacriſtani, quando maximè nullus eſt ad manum.

Imò in ipſo Sacello, quando vrget aliqua neceſſitas, vel aliquod extraordinarium officium eſt præ manibus, ipſorum eſt aſſiſtere, & iuuare Sacriſtanos, maximè in Septimanâ ſanctâ pro habendâ curâ monumenti, & luminarium de die ac de nocte.

Debent itaque ſemper eſſe ad manum, maximè pridie quando ordinariè ſolent SS. CC. confiteri, ac ſacram Communionem ſumere, vel quando veriſimiliter aliqua mutatio eſt præ manibus, vt tempeſtiuè inſinuent ipſis Confeſſarijs & Capellano Maiori, & omnia præparent in ſequentem diem.

CAPVT SEXTVM.

De Sacriſtanis.

POST hos ſunt Sacriſtani; quorum officium eſt Sacelli & Sacriſtiæ, tam ſuperioris quàm inferioris, & omnium ornamentorum; & tam argenteorum quàm aliorum omnium, quæ in ijs ſeruiunt, exactiſſimam cuſtodiam & curam habere:

Sacellum ipſum manè & à prandio, quando in eo eſt aliquod Officium, tempeſtiuè aperire; & peracto Officio illicò claudere:

Nullum, ſiue Eccleſiaſticum ſiue laicum, etiam de familiâ SS. CC. ad vtramque Sacriſtiam admittere, niſi illos, quibus de neceſſitate circa tempus Officij debet patere

patere ingreſſus; vtpote Capellanum Maiorem, Cæremoniarum Magiſtrum, Celebrantem, & miniſtrantes, & neminem alium, ne quidem eorum famulos.

Vtque in poſterum reliqui omnes ab ingreſſu Sacriſtiæ arceantur, & ita ab eâ omnis confabulationis, ſtrepitus & diſtractionis occaſio tollatur, in quâ debet eſſe ſummum ſilentium, ſumma recollectio, & deuotio; vt nimirum pœnitentes ſe recolligant, & Celebrantes ac miniſtrantes ad tam ſublime Sacrificium Miſſæ dignè ſe præparent, ordinatum eſt armarium circa aſcenſum ad chorum Cantorum, vt ibi Capellani Oratorij & Altaris deponant pallia ſua, & ſumant inde ſuperpelliccea ſua, & reliqua quibus indigent; & peracto Officio ea ibi reponant.

Et vt etiam famuli Celebrantium ab ingreſſu Sacriſtiæ totaliter excludantur, Sacriſtani ijs inſeruient in deponendo pallio, & in induendo & præparando ſe ad Miſſam.

Eſt & inhibitum quàm maximè ſeriò Sacriſtanis, vt nullatenus permittant ab aliquo mortalium aperiri feneſtram aliquam in Sacriſtiâ, per quam eſt aſpectus ad hortum SS.CC. ſiue in ſuperiori ſiue in inferiori Sacriſtiâ.

Nec ipſi etiam Sacriſtani hoc ipſum faciant, niſi ſubinde, cùm mundant Sacriſtiam, neceſſe ſit aperire vnam aut alteram feneſtram, quam ſtatim eâ purgatâ claudent.

Ipſorum etiam eſt Sacriſtiam, tam inferiorem quàm ſuperiorem, ipſum etiam Altare, & locum circa Altare, & abacum, ſiue credentiam ſingulis diebus mundare, puluerem excutere, & panno detergere; vt omnia ſint quàm maximè munda:

Et cùm alternatim ſeruient ſeptimanas ſuas, vt illas incipiant à die Sabbati poſt prandium, illaſque finiant eâdem horâ ſequenti Sabbato. Ipſorum eſt diligenter obſeruare ſeptimanas ſuas, & ſingulis diebus à Feſto Paſchatis, vſque ad Bauonis, præcisè horâ ſextâ; & deinde vſque ad Paſcha ab horâ ſeptimâ manè venire ad Sacellum, & illicò mundare Sacriſtiam, & reliqua; & parare ea quæ neceſſaria ſunt in Altari & in Sacriſtiâ pro Celebrantibus;in primis ornamenta pro Celebrante Miſſam SS. CC. & miniſtrantibus, ſi ſit ſolemnis, ſiue cantata; & duo ſemper ornamenta pro ijs qui ordinariè vel extraordinariè celebrant: & ita tempeſtiuè omnia præparent, vt quando inchoanda ſit prima Miſſa, ſint planè liberi,& nihil habeant quod agant,quàm vt Celebrantibus in Sacriſtiâ & in Altari ſemper aſſiſtant:& in Sacriſtiâ inferiori ſit ſemper vnum ornamentum pro Celebrante,& Altare ibidem ſit ſemper paratum.

Et ſi contingat SS. CC. pro audiendo Officio accedere aliam Eccleſiam, is qui non eſt Hebdomadarius procurabit eò deferri omnia neceſſaria, & ipſe ibi inſeruiet; & alter, cuius eſt ſeptimana, remanebit in Sacello ad peragenda ea quæ ipſi ibi incumbunt.

Ac proinde, vt non ſit aliquis defectus, plerumque Hebdomadarius erit ad manum in Aulâ circa veſperam, maximè ſi ſuſpicetur aliquam mutationem eſſe præ manibus; & in eum euentum indicabit hoc ſtatim Confratri ſuo, vt ipſe tempeſtiuè adſit, & curet neceſſaria.

Ipſis etiam incumbit, ornamenta ordinare,exponere, & denuò peracto Officio reponere; ſed præcipuum eſt, vt curioſè hoc faciant:

Prætereà

Prætereà in omnibus Miſſis priuatis & publicis, & reliquis Officijs Sacelli, ſiue in præſentiâ ſiue in abſentiâ SS. CC. continuò inſeruire. Quare videant, vt non aliter compareant in Sacello, quàm cum togâ talari & ſuperpelliceo, & collaribus ſimplicioribus; & cum eâ munditie, honeſtate, & modeſtiâ quâ decet, tam in habitu quàm in inceſſu.

Videant candelas in Altari ſæpiùs emungere, ne vel defluant, vel quid ex ijs in mappas Altaris decidat; Primò in Officio Miſſæ ſemper ante ingreſſum SS. CC. Secundò, ſi ſit Concio, ante initium illius; & Tertiò, ſub *Credo*, & in Officio Matutinarum, Veſperarum, & Completorij ad minùs bis vel ter, & ſæpiùs, ſi videant eſſe neceſſe.

Ipſorum etiam eſt, ſemper eſſe cum vaſe aquæ benedictæ & aſperſorio ad manum illius, cuius eſt dare aquam benedictam ingredientibus Principibus ad Sacellum, vel ad aliam Eccleſiam.

Denique ipſorum eſt, etiam tempeſtiuè procurare, vt mappæ Altaris, corporalia, albæ, & ſimilia lintea curiosè lauentur, vtque diebus Dominicis & Feſtiuis dentur Celebranti & miniſtrantibus albæ mundæ; & in Altari ponantur mappæ, & corporale, & reliqua quæ ſint omnino alba & munda.

Vtque deinceps omnia ornamenta ſint ad manum, & præſertim pretioſiora, quæ ſeruiant diebus ſolemnioribus, extructum eſt de mandato SS. CC. pro ijs curiosè reponendis ſpeciale armarium; cuius claues habebit Cæremoniarum Præfectus, & ſub eo vnus ex Sacellanis Altaris, qui illorum curam habeat, & ſingulis vicibus ea curiosè exponat & reponat ſecundùm annotationem

Digitized by Google

tationem illius factam in poſtremo Diario Diuini Officij ipſius Sacelli.

Vtque diligentior habeatur ratio eorum, eſt prætereà ſæcularis quidam, qui ſub ſalario annuo obligauit ſe ad eorum reparationem; & ſingulis diebus Dominicis & Feſtiuis tenetur eſſe præſens in Sacriſtiâ: & ibi in exponendis & reponendis ornamentis aſſiſtat; vt ſi quæ videat indigere vel minimâ reparatione, proximo die feriali ea reficiat.

CAPVT SEPTIMVM.

De Magiſtro Cantus.

EST prætereà in Sacello SS. CC. inſignis chorus muſicorum, & cantorum, ac illorum qui inſtrumentis ludunt; cui præeſt Magiſter Cantus; ſub curâ tamen & regimine Capellani Maioris. Qui ſi velit omnes benè fungi officio ſuo, ipſe debet ita præire, & tam ſedulus eſſe in munere ſuo obeundo, vt ab eo ſumant omnes vitæ probatæ, modeſtiæ & diligentiæ bonum exemplum. Quare videat, vt ſit ſemper primus & vltimus in Officio chori, & procuret, vt ſecundùm ſolemnitatem Officij cantetur ſimiliter muſica ſolemnis; & quantum fieri poteſt fiat ſemper mutatio, non tantùm in inſtrumentis & modo cantandi, ſed etiam in ipsâ muſicâ; & ſi aliquid difficile vel nouum propoſuit canere, ipſius eſt tempeſtiuè omnes præmonere, & ſi opus ſit, illius extra chorum periculum facere; & ſi quid ſit ex Officio Diuino Sacelli, quod non ſit cum notis ſuis muſicalibus deſcriptum, curabit illicò quod deeſt notari, ne ſit in eo deinceps aliquis defectus.

Videbit

Videbit etiam, vt in poſterum omnia quæ in Miſſis per Miſſale præſcribuntur, integrè canantur, nihilque in ijs omittatur: & in Veſperis ſimiliter Hymni integrè & muſicè canantur.

Et de cætero, ipſius eſt ita in omnes habere oculos intentos, interim cùm inſunt præſentes, vt non lectioni Horarum Canonicarum vel alij lectioni, multò minùs confabulationibus, ſed cantui & Officio toti vacent.

Ad eumdem etiam ſpectat, diligentem habere cuſtodiam & curam omnium librorum tam muſicalium quàm aliorum, qui in choro ſeruiunt, & de ijs ad vnum vſque reſpondere, ſecundùm inuentarium illi nuper traditum, & ab eodem ſubſignatum; & impedire, ne ab aliquo extra chorum, niſi ad ſeruitium Principum, deferantur.

Poſt hæc ſedulam curam habere debet puerorum, ſiue Choraulium, qui ſunt in ipſius conuictu; & adlaborare omnibus modis eoſdem benè educare in pietate & bonis moribus, inſtruere in cantu, ac eos benè ac honeſtè tractare, & excipere; & de manè in veſperam deſignare illis horas quibus ſe exerceant, in primis in linguâ Latinâ, in cantu, in arte ſcribendi, & in inſtrumentis muſicis, & deinde eoſdem Sacellum verſus comitari, & peracto Officio reducere; nec debet etiam permittere, vt hîc & ibi in conuiuijs vel de die vel de nocte diſcurrant; nec vt laceri in veſtibus ſuis incedant, ſed mundè & decenter veſtiti.

In ſummâ, ita ſtudeat eos enutrire, vt in Sacello Principum poſſint benè ſeruire; & ſi quando propter mutationem vocis erunt dimittendi ad ſtudia, vel ad aliam profeſſionem, ita ſe in vitâ, moribus, & bonis litteris,

nec non peritiâ cantus profeciſſe re ipsâ declarent, vt dignos ſe præbeant, qui ex Sacello tantorum Principum & ex ſcholâ ipſius Magiſtri Cantus prodeant, & habiles ſint vt ad maiora paulatim animum adijciant.

Antequam autem dimittantur, diligenter eos examinabit Magiſter Cantus, ad quid magis tendat animus, an ad ſtudia, an ad artem aliquam mechanicam; & de eo certiorem reddet Capellanum Maiorem, qui à SS. CC. procurabit illis duos, tres vel plures annos ſtudiorum, prout benè & dudum in Sacello ſeruierunt.

Et cùm toto tempore quo ſunt in ſtudijs, pares illis ſumptus fiant cum illis qui actualiter ſeruiunt, ſic eorum curam adhuc retinebit Magiſter Cantus, vt nempe tempus ſuum & ſumptus, quos Principes ſuppetunt, benè & vtiliter impendant, vt aliquando in virum euadant, & poſteà in Sacello ita ſeruiant, vt aliquam promotionem à SS. CC. mereantur.

CAPVT OCTAVVM.

De Locum-tenente Chori.

Est & Locum-tenens Chori, qui ſimiliter tenetur eſſe primus & vltimus in choro, vt ſi Magiſter Chori vel abſit, vel ſeriùs veniat, vel etiam infirmetur, ipſius vices ſupplere poſſit; & qui ſpecialem debet habere curam cantus Gregoriani, & prouidere vt ſemper Breuiarium & Miſſale ſit ad manum, & vt chorus ſe planè Celebranti conformet, & quando reſpondendum ſit, omnes ſtatim ſint parati.

Digitized by Google

CAPVT NONVM.

De Capellanis Altaris.

IN choro autem, poſt Magiſtrum Cantus primum locum obtinent Capellani Altaris; quorum officium cùm ſit ordinariè Miſſas in ipſo Altari Sacelli tam in præſentiâ quàm abſentiâ Principum canere, ac in eodem miniſtrare, & vnà cum alijs in choro canere, & pſalmodiare; debent meritò non alij ad illud officium aſſumi, quàm viri graues & probati, & ex legitimo thoro nati; Sacerdotes boni nominis & famæ, cantus ſimplicis & muſices periti, & qui gratam perſonam & vocem habeant, & in officio ſuo ſint diligentes, nullatenus potui vel alij vitio addicti; & qui in habitu decenti incedant; maximè cùm in Sacello comparent, habeant pallium & tunicam talarem oblongam, & coronam ac barbam recenter ac decenter raſam.

De quibus omnibus, antequam aſſumantur, legitimè probare debebunt; & admiſſi emittere profeſſionem Fidei; & in manibus Capellani Maioris, præſente Cæremoniarum Magiſtro, præſtare conſuetum iuramentum fidelitatis & obedientiæ.

Et ne poſteà conquerantur ſe ad maiora obligari quàm ſolent, præmonebuntur à Capellano Maiori de omnibus & ſingulis quæ ipſis incumbunt; nimirum canere ordinariè Miſſas, etiam votiuas, in Sacello Principum, in ijs miniſtrare, aſſiſtere, canere, & pſalmodiare cum reliquis in choro; vocati ad muſicam cameræ, vel alibi, vel etiam à Magiſtro Cantus ad faciendum periculum

culum pro Vilancicis, vt vocant, & ſimilibus circa tempus hebdomadæ Sanctæ, vel Natiuitatis Domini, ſiue in Sacello, ſiue in domo Magiſtri Cantus, vel alibi, ſtatim comparere; & Miſſam priuatam ad horam octauam hebdomadatim inter ſe celebrare; & denique, Sacellum Principum, quocumque ſe conferat, ſequi.

CAPVT DECIMVM.

De Organiſtis.

INTER reliquos de choro ſunt inter primos Organiſtæ; à quibus cùm magnâ ex parte ornatus Sacelli dependeat, debent eſſe viri inſignes, & qui in arte ſuâ excellant, & qui in Cæremonijs Sacelli ſint verſati, vt ſciant quando ludere debeant; ac conformare ſe cum Magiſtro Cantus, & cum ipsâ muſicâ, vt nulla ſit cum choro diſcrepantia; & licet, cùm ſint duo, per ſeptimanas ſeruiant, ille tamen qui non eſt Hebdomadarius, ad chorum ſimiliter veniet, vt ſi alter vel abſit, vel ſeriùs veniat, ipſius vices ſupplere poſſit, vel etiam ſi duobus organis ſit ludendum, non ſit aliquis defectus: ſaluo, quòd poſtquam ſe in choro præſentauerit, & à Magiſtro Cantus intellexerit ſuam præſentiam non eſſe neceſſariam, poterit tum cum ipſius veniâ à choro recedere, & aliò ſe conferre.

Habebunt Organiſtæ etiam curam organorum, vt benè conſeruentur, & ſuo tempore concordentur.

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT VNDECIMVM.

De Muſicis & Cantoribus.

SVNT & Muſici, ſiue Cantores, inter quos ſi ſint aliqui in Sacerdotio conſtituti, ſunt meritò alijs præferendi; & reliqui, licet ſint ſæculares, & plerumque coniugati, tamen quamdiu Eccleſiæ & Principibus inſeruiunt, & Diuinis ac Sacris in dies interſunt, neceſſe eſt vt in habitu nigro, & non alio, ac in vitâ modeſtè & decenter ſe gerant, vt ſe Dei in primis & tantorum Principum miniſterio dignos reddant.

Ipſorum enim munus eſt, in omnibus Sacelli officijs eſſe præſentes non ſolùm, ſed partes ſuas viuâ voce canendo atque inſtrumentis ludendo ſedulò exequi; & vocati, ſiue ad Sacellum, ſiue ad muſicam Cameræ, vel alibi, ad indictam horam paratos ſe ſiſtere.

CAPVT DVODECIMVM.

De eo qui habet curam inſtrumentorum.

SENIOR autem Inſtrumentiſtarum diligentiſſimam curam habebit omnium inſtrumentorum quæ ſunt Principum, & de ijs omnibus reſpondebit; & non permittet alicui ea deferre extra Sacellum, vel locum in quo ſunt repoſita; & ſi quis præſumpſerit domum vel alibi ſecum deferre, pro primâ vice priuabitur ſalario ſuo vnius menſis, ſecundâ vice trium menſium, & tertiâ vice deſtituetur officio ſuo.

Curabit autem is qui inſtrumentorum curam habet, vt quando neceſſe erit, tempeſtiuè ea reficiantur, & nouæ chordæ ſiue funiculi apponantur: qui ſumptus per eum annotabuntur, & ipſi refundentur.

CAPVT DECIMVMTERTIVM.

De Deſignatore hoſpitiorum.

Est & Deſignator hoſpitiorum Sacelli, quem vulgari vocabulo *Fourrier* vocant; ad quem ſpectat conuocare ſemper eos qui ſunt de Sacello quando eſt neceſſe; annotare ſingulis vicibus, qui vel ſint abſentes, vel ſeriùs veniant, & illius in ſcriptis dare notam Capellano Maiori ſub finem cuiuſque menſis; omnes inſinuationes, citationes & executiones in Suppoſita Sacelli facere:

Procurare illis de Sacello hoſpitia, quando Bruxellæ agunt, vel quando Principes ſequuntur:

Si quid de aliquo Suppoſitorum intelligat, quod reprehenſione vel caſtigatione dignum ſit, hoc ad Superiores deferre:

Et quandocumque nonnulli, ſiue ordinariè, ſiue extraordinariè, ad aliquod Officium Sacelli, vel ad muſicam Cameræ, vel alibi conuocantur, ſemper eſſe ad manum, vt ſi quid ſe offerat, ipſius operâ vti liceat:

Deinde arcere à choro omnes extraneos, & non permittere, vt vel Aulici vel alij chorum aſcendant, multò minùs cum cantoribus ſe immiſceant, vel ipſorum loca occupent:

Prætereà eſſe continuum ad ianuam chori, vt nullus

ex

ex cantoribus ſine licentiâ Magiſtri Cantus egrediatur, niſi finito Officio:

Deinde habere curam, vt ipſum Sacellum, & ſimiliter chorus, ſingulis ſeptimanis ad minùs ſemel, & prætereà circa maiores Feſtiuitates ſcopis verratur, & mundetur per eos qui ad hoc ſunt deputati.

Et Sacello conuocato ad aliam Eccleſiam vel locum pro aliquo Officio celebrando, ad ipſum ſpectat procurare vt pulpitum, libri muſicales, inſtrumenta, & cætera neceſſaria eò deferantur, & vt deſignetur commodus locus, ex quo chorus faciat officium ſuum:

Et vbi præſumere poteſt aliquam mutationem eſſe p ræ manibus, recurrere ſtatim ad Capellanum Maiorem, vt ab eo quid faciendum ſit intelligat.

Ad eumdem etiam ſpectat annotare diligenter diem, menſem & annum, quando in Sacello aliqui vel aſſumuntur, vel dimittuntur, vel etiam moriuntur:

Et inſuper procurare ſuo tempore ordinationes ad ſolutionem conſequendam pro toto Sacello, tam ratione ſalarij ordinarij, quàm quod gratioſè illis pro ſtrenâ in Feſto Sanctæ Cæciliæ ac alijs conceditur.

CAPVT DECIMVMQVARTVM.

De Ludi-Magiſtro.

EST & Ludi-Magiſter, qui pueros ſiue Choraules in linguâ Latinâ inſtruit; & obligatur ſingulis diebus ad eorum domum accedere, & duabus horis manè, vel ad minùs ſeſquihorâ, & totidem poſt prandium eos in fundamentis linguæ Latinæ docere:

Et diebus Dominicis & Feſtiuis in Sacello. comparere, & ibi in choro cum reliquis canere.

CAPVT DECIMVMQVINTVM.

De Sufflatore organorum, & eo qui tenetur ſcribere notas muſicales.

EST & Sufflator organorum; cuius eſt officium concordare organa, & habere illorum curam, & quando in ijs ludendum eſt, ea ſufflare; atque ita tenetur ſemper, quando organa ludunt, eſſe præſens.

Eſt & inter cantores vnus, qui tenetur ſcribere notas, ſiue characteres muſicales.

CAPVT DECIMVMSEXTVM.

Varia ad Ordinem Officij Diuini eiúſque miniſtros ſpectantia.

VBI autem ex præmiſſis conſtat quid cuilibet ex officio incumbat; proximum eſt vt ſciamus Diuinum Officium, quod fit in Sacello SS. CC. per totum annum, ſiue ſit Miſſa ſolemnis, ſiue priuata, ſiue Veſperæ, ſiue Matutinæ, ſiue Completorium, celebrari, & ipſum etiam Altare cum abaco, ſiue credentiâ, & ſuggeſtu ornari ſecundùm Rubricas Breuiarij, Miſſalis, Pontificalis, & Cæremonialis Romani, quoad ordinem, cæremonias, & cantum:

Quodque ordinariè diebus Dominicis & Feſtiuis ſit in

Digitized by Google

in Sacello Miſſa cantata; & certis alijs, prout particulariùs inferiùs annotabitur, quando nimirum ſint primæ & ſecundæ Veſperæ, quando Matutinæ, quando Completorium & Concio; & per quos celebrentur: & denique quando Principes ijs ſolent intereſſe:

Et quòd diebus ferialibus ordinariè ad horam vndecimam celebrari ſolet Miſſa priuata per Sacellanum Oratorij qui eſt ad ſeptimanam, quam SS. CC. ordinariè audire conſueuerunt, Sereniſſima nimirum Infans ex loco ſuo ſuperiori, & Sereniſſimus Archidux in ipſo Sacello ſub cortinâ.

Ordinaria autem hora Miſſæ ſolemnis eſt ad horam nonam, Veſperarum autem ad horam tertiam, & Completorij ad horam ſimiliter tertiam poſt prandium; niſi aliquando propter impedimenta quæ incidunt, anticipanda vel poſtponenda ſit hora.

Et quòd celebratur in Altari dicti Sacelli ſingulis ſeptimanis per Capellanum Altaris, cuius ſunt vices, ſolemnis Miſſa votiua in honorem Sancti Sebaſtiani à Feſto Paſchatis vſque Bauonis ad horam octauam, & extra illud tempus ad horam nonam præcisè.

Deinde eſt adhuc Miſſa priuata, quæ quotidie debet celebrari per Sacellanos Altaris, ſuis vicibus, à Feſto Paſchatis vſque ad Bauonis ad horam ſeptimam; & extra illud tempus ad horam octauam.

Præterea eſt adhuc alia Miſſa priuata, quæ quotidie celebrari debet ad horam nonam, à Feſto nimirum Paſchatis vſque ad Bauonis; & extra illud tempus ad decimam.

Volunt autem SS. CC. Capellanos omnes Oratorij, in omnibus Sacelli Officijs, vtpote in Miſſis quæ cantan-

tur, in Veſperis, Matutinis, & Completorio, eſſe præſentes; & loco ſuo in decenti habitu cum ſuis ſuperpelliceis ſedere, licet ipſi Principes ad Sacellum non veniant; & Magiſtro Cæremoniarum abſente, vel ſeriùs veniente, vt ſenior ex præſentibus, quicumque ille ſit, nemine excepto, ſuppleat ipſius vices; ac omnes alios, nemine excepto, Magiſtrum in primis Sacelli, Capellanos Altaris, & quotquot ſunt, qui in Sacello inſeruiunt, in prædictis Officijs ab initio vſque ad finem continuò eſſe præſentes; pro Miſsâ cantatâ ordinariè ad horam nonam; pro Veſperis & Completorio ad horam tertiam poſt prandium; idquè præciſè pro Matutinis in Vigiliâ Natiuitatis Domini ad horam ſextam veſperi; & pro Matutinis tenebroſis in ſeptimanâ Sanctâ, ad horam quintam veſperi.

Neminem prætereà volunt S S. C C. ſe abſentare, multò minùs ciuitatem exire, vel peregrè proficiſci, niſi cum præuiâ licentiâ Capellani Maioris; qui antequam eam concedat, communicabit deſuper cum Magiſtro Cantus, vt ab eo intelligat, an commodè ſe abſentare poſſit ſine notabili defectu.

Et ſi contingat aliquem infirmari, iudicio tamen approbati Doctoris Medici, tenebitur hoc tempeſtiuè, ſi ſit Capellanus Altaris, indicare Capellano Maiori, vel Cæremoniarum Præfecto; ne ſi forſan ſit ad Altare, vel ad aliud Officium deputatus, ex ſuâ abſentiâ oriatur aliqua confuſio vel defectus.

Et vt nullus in poſterum ignorantiæ cauſam alleget, quando comparere debeat vel non, vel quando ſit ad aliquod Officium, ſeruabitur in Sacriſtiâ tabula, in quâ deſcripta erunt nomina Capellanorum Oratorij reſidentium;

dentium; & altera, quæ erit Capellanorum Altaris; & deſignabuntur qui ſunt pro illâ ſeptimanâ ad Officium; ac tam in Sacriſtiâ quàm in choro erit copia poſtremi Diarij, in quâ quilibet videre poterit Officium totius anni; ac proinde non excuſabitur, etiamſi contingat illum particulatim non vocari.

Sed quia propter Feſta mobilia, & tranſlationem Feſtorum, non poteſt ſemper haberi ratio Diarij, ſed neceſſe eſt ſingulis annis eſſe mutationem; ſic, vt certior habeatur Officij Diuini ratio, Cæremoniarum Præfectus deſcribet in qualibet ſeptimanâ integrum illius Officium; & illius ſchedulam affigi curabit in Sacriſtiâ ſingulis diebus Sabbatinis manè, ex quâ omnes videre poſſint Officium ſequentis ſeptimanæ, & per quos in particulari ſit peragendum.

Et vt in choro omnia procedant cum maiori ordine, extruentur ſcamna, in quibus cuilibet à Magiſtro Cantus aſſignabitur locus ſuus, maximè in pſalmodiando; vt hinc inde voces ſint æqualiter repartitæ.

Deinde deputabuntur duo ex numero Capellanorum Altaris, vnus nempe Baſſus, & alter Tenor, qui in omni Officio Sacelli chorum tenebunt; Miſſas & Pſalmos in Matutinis, Veſperis & Completorio intonabunt; ac ſemper primi erunt qui Celebranti in Altari reſpondebunt; & ſpecialem curam habebunt, vt chorus ſe in omnibus & per omnia conformet ijs quæ per Breuiarium & Miſſale Romanum præſcribuntur.

Qui vt continui ſint in choro, excuſabuntur ab Officio Altaris; & ſi contingat eos abeſſe, vel infirmari, ſubſtituent aliquem loco ſuo, vel ad minùs hoc Magiſtro Cantus tempeſtiuè indicabunt, vt ipſe prouideat.

Veniant

Digitized by Google

Veniant autem omnes horâ ſuâ ad chorum ſobrij, non ſint ibi otioſi, nec confabulantes, vel aliud agentes, vel legentes; ſed ſinguli ſint intenti officio ſuo; & prout Magiſter Cantus ordinauerit, partes ſuas ſine aliquâ difficultate exequantur.

Abſtineant ante omnia à rixis & contentionibus; & ſub pœnâ priuationis officij ipſo facto incurrendæ ſe mutuò nec minis, multò minùs nec verbis iniurioſis, aut factis lædant: & hoc non ſolùm reſpectu cantorum & muſicorum, ſed etiam Capellanorum Oratorij, & Altaris, & omnium ſubditorum Sacelli; & prætereà non ſolùm in choro, ſed in Sacriſtiâ, & per totum Sacellum, & etiam extra.

Et in ſummâ ita ſe gerant omnes in vitâ, moribus, & habitu, tam in Sacello quàm extra, etiamſi ſint laici & coniugati, vt dignos ſe præbeant, qui albo Principum ſint inſcripti, & qui Diuinis adſiſtant, Deo miniſtrent, res ſacras tractent, ac Principibus verè Chriſtianis in Officio tam ſancto inſeruiant.

Et vt magis ſe ad hoc obligatos eſſe ſemper cognoſcant, præſtabunt deinceps omnes quotquot ſunt de Oratorio & Sacello Principum, antequam ad officium ſuum admittantur, conſuetum fidelitatis, obedientiæ & diligentiæ iuramentum.

Et ſi contingat SS. CC. aliquò proficiſci, & illos de Oratorio & Sacello domi manere, celebrabitur Diuinum Officium in ipſo Sacello non ſecùs ac ſi SS. CC. eſſent præſentes, exceptâ Miſsâ ordinariâ SS. CC.

Si verò illi de Sacello perſonas Principum ſequi debeant, relinquentur ſemper aliqui, qui diebus Dominicis, Feſtiuis, & reliquis, prout ſolet, Officium Diuinum

peragere

peragere poſſint ; & ordinabitur à Capellano Maiori vnus de numero Capellanorum Oratorij, qui illius & totius Sacelli curam habeat.

Si verò contingat SS. CC. ex Aulâ ad aliam Eccleſiam pro audiendo Diuino Officio accedere, tenentur omnes de Sacello ſequi; ſed pro Domeſticis Aulæ, maximè pro mulieribus quæ non egrediuntur,celebrabuntur conſuetæ Miſſæ priuatæ; & alia per Sacellanum Oratorij, qui eſt ad ſeptimanam, ſtatim poſt egreſſum SS. CC. ex Aulâ.

Et vt prædicta exactiùs obſeruentur, & in officio ſuo omnes meliùs contineantur, conſultum eſſet, ter aut quater in anno, omnes de Oratorio & Sacello per Sacellanum Maiorem conuocari,& ſingulos officij ſui ſedulò moneri, has Ordinationes à capite ad finem vſque viuâ voce repetere.

Digitized by Google

DIARIVM OFFICII DIVINI QVOD IN SACELLO SS. CC. PER TOTVM ANNVM CELEBRATVR.

MENSIS IANVARIVS.

IN primis, in Feſto Circumciſionis Domini celebrantur primæ Veſperæ per Sacellanum Oratorij; & ipſo die Miſſa ſolemnis per eumdem, & ſub eâ concio: & in ijs ſolent Principes eſſe præſentes ſub cortinâ.

Secundæ Veſperæ per Sacellanum Altaris. Et exponuntur in hac Feſtiuitate pretioſiora ornamenta coloris albi. *Quando verò agitur de exponendis ornamentis, intelligendum eſt tam de ijs quæ ſunt Altaris, quàm Celebrantis, miniſtrorum, & credentiæ, ſecundùm Romanæ Eccleſiæ vſum.*

Et cùm dicuntur Principes eſſe præſentes, intelligendum eſt, illos venire ad Sacellum, & audire Diuinum Officium ex loco ſuo, ſub ipſâ nimirum cortinâ.

In Feſto Epiphaniæ Domini primæ Veſperæ ſunt Pontificales, ſimiliter & Miſſa: atque ita Officium celebratur per Dominum Nuntium Apoſtolicum in Pontificalibus, ſi ſe offerat, vel per Epiſcopum, ſi aliquis ſit ad manum; vel etiam Prælatum, ſiue Abbatem, ſi ſit ad manum; alioquin per Sacellanum Oratorij: & ſolent in ijs omnibus Principes eſſe præſentes; & exponi ornamenta pretioſiora coloris albi.

Officium verò Matutinarum inchoatur in ipsâ Vigiliâ, veſperi ad horam ſextam, per Sacellanum Oratorij; quod ſolent audire Principes ex loco inferiori vicino Sacello, ex quo eſt aſpectus ad ſummum Altare.

In ipſo die Epiphaniæ Domini ſub Miſsâ eſt concio, ſed differtur in proximam diem Dominicam. Secundæ verò Veſperæ celebrantur per Sacellanum Altaris.

Dominicâ infra octauam Epiphaniæ

phaniæ cantatur Miſſa per Sacellanum Altaris,quam SS.CC. audire ſolent in ipſo Sacello: & exponuntur ornamenta alba ordinaria.

Feſtum Sanctæ Gudulæ virginis, non martyris, incidit ſemper in diem octauam menſis Ianuarij, & ſeruatur publicè in populo per totam ciuitatem Bruxellenſem; atque ſic in Sacello celebratur Miſſa ſolemnis cum *Credo* per Sacellanũ Altaris,cui SS.CC. ſolent intereſſe (niſi accedant Eccleſiam maiorem,prout ſubinde viſum eſt:) & exponuntur ornamenta coloris albi.

Dominicâ ſecundâ poſt Epiphaniam, ſimiliter & ab hac Dominicâ, & ſequentibus, vſque ad Dominicam Septuageſimæ excluſiuè, exponuntur ornamenta meliora coloris viridis.

Feſtum Sanctorum Fabiani & Sebaſtiani licet non ſeruetur in populo,tamen ex ſingulari deuotione SS. CC. cantatur ipſo die Miſſa ſolemnis horâ ordinariâ, cum ſpeciali Collectâ contra peſtem, quam SS. CC. audire ſolent ſub cortinâ. Incidit hoc Feſtum ſemper in diem viceſimam menſis Ianuarij : & exponuntur ornamenta communia coloris rubri.

Dominicâ tertiâ poſt Epiphaniam Miſſa cantatur more ſolito.

Feſtum Sancti Ildephonſi, Epiſcopi Toletani,& Confeſſoris,incidit in diem viceſimam tertiam menſis Ianuarij; qui cùm ſit Patronus ConfraternitatisDomeſticorum SS. CC. celebratur ipſius Officium in EccleſiâFrigidi montis cum toto Sacello, præſentibus omnibus Confratribus; pridie nempe Veſperæ, ipſo die Miſſa ſolemnis per Sacellanum Altaris, & ſub eâ concio, & ante Miſſam Proceſſio per Eccleſiam:& ſolent ſubinde Principes intereſſe Proceſſioni, Miſſæ, & concioni: & exponuntur ornamenta communia alba.

In Feſto Conuerſionis Sancti Pauli eſt Miſſa ſolummodò cantata, quæ celebratur per Sacellanum Altaris, & quam SS. CC. audire ſolent in Sacello: & exponuntur ornamenta ordinaria alba.

Dominicâ quartâ poſt Epiphaniam Miſſa cantata per Sacellanum Altaris, in quâ Principes ſolent eſſe præſentes.

MENSIS FEBRVARIVS.

IN Feſto Purificationis Beatæ Mariæ primæ Veſperæ celebrantur per Sacellanum Oratorij, & ijs ſolent intereſſe SS. CC. & ordinariè ipſo die accedere Eccleſiam Diuæ Gudulæ. Ipſa Benedictio candelarum fit per D. Nuntium Apoſtolicum, vel per alium Prælatum; & poſteà per eumdem illarum diſtributio, primò ipſi Clero, & deinde perſonis S S. C C. & eâ peractâ ſeruatur Proceſſio cum ornamentis violaceis melioribus per Eccleſiam: Miſſa autem cantatur per Decanum iſtius Eccleſiæ cum ornamentis albi coloris. Secundæ autem Veſperæ non celebrantur; quia cùm SS. CC. ad aliam Eccleſiam accedunt vt audiant Sacrum, plerumque feriùs ad Aulam redeunt, & conſecutiuè omnes qui eas ſequuntur: ac ſic Veſperæ tum non canuntur.

In Dominicâ quintâ poſt Epiphaniam eſt Miſſa cantata more ſolito per Sacellanum Altaris.

In Dominicâ Septuageſimæ eſt Miſſa cantata, & concio; & ex eo die non ludunt organa in Officio de Tempore: & celebratur Miſſa per Sacellanum Altaris; exponunturque meliora ornamenta violacea.

In Dominicâ Sexageſimæ ſimiliter Miſſa, & concio, quam ſolent audire SS. CC. prout in Dominicâ præcedente: & celebratur per Sacellanum Altaris: & exponuntur ornamenta meliora violacea.

In Feſto Cathedræ Sancti Petri, Eccleſiæ Antiochenæ, quod publicè ſeruatur, Miſſa cantatur more ſolito, quæ celebratur per Sacellanum Altaris, & quam ſolent in publico audire SS. CC. & exponuntur ornamenta alba.

In Feſto Sancti Mathiæ Apoſtoli primæ Veſperæ per Sacellanum Oratorij, ſimiliter & ſummum Sacrum, quibus ſolent intereſſe SS. CC. exponuntur ornamenta communia rubei coloris, quæ dicuntur aurei Velleris. Secundæ Veſperæ per Sacellanum Altaris.

In Dominicâ Quinquageſimæ Miſſa cantata, cum concione, per Sacellanum Altaris, quam ſolent audire SS. CC. & exponuntur ornamenta meliora.

Feriâ quartâ Cinerum Benedictio & impoſitio Cinerum fit per D. Nuntium Apoſtolicum, vel per aliquem Epiſcopum, Prælatúmve, qui ſit tum ad manum: Miſſa cantata per Sacellanum Ora-

Oratorij, & ſub eâ concio; & in ijs SS. CC. ſolent eſſe præſentes, & accipere crucem cum ſolitis ſuis cæremonijs ab ipſo qui benedixit Cineres. Benedictio autem Cinerum fit cum melioribus ornamentis violaceis; Miſſa verò, quia ferialis, cum ornamentis communibus eiuſdem coloris.

MENSIS MARTIVS.

NOTANDVM, *quòd per totam Quadrageſimam, à primâ Dominicâ eiuſdem, vſque ad Septimanam Sanctam excluſiuè, cantatur Miſſa ad horam nonam, & fit ſub eâ concio Feriâ quartâ & ſextâ; ſimiliter & Completorium Feria ſecundâ, quartâ, & ſextâ, ad horam tertiam poſt prandium; & fit Officium per Sacellanum Altaris, qui eſt Hebdomadarius; exponunturq́ ornamenta violacea communia, ſiue ordinaria.*

Atque itaque Feriâ ſextâ poſt Cineres cantatur Miſſa per Sacellanum Altaris, & ſub eâ concio; in quâ SS. CC. ſolent eſſe præſentes.

Dominicâ *Inuocauit*, quæ eſt prima Quadrageſimæ, Miſſa cantatur per Sacellanum Altaris, cum concione; in quâ SS. CC. ſolent eſſe præſentes. Exponuntur ornamenta violacea communia.

Feriâ ſecundâ proximâ cantatur ſolemniter poſt prandium ad horam tertiam Completorium in *Fauxbourdon*; & ſolet illud audire Sereniſſima Infans, ex loco quo ordinariè ſolet audire Sacrum: & ſubinde Sereniſſimus Archidux ex Tribunâ inferiori: & in hac & ſequentibus diebus ferialibus exponuntur ornamenta violacea communia.

Feriâ quartâ eſt Miſſa cantata per Sacellanum Altaris, cum concione, ad horam nonam; & ſolent SS. CC. eſſe præſentes: & poſt prandium Completorium.

Feriâ ſextâ ſimiliter.

Dominicâ *Reminiſcere*, quæ eſt ſecunda Quadrageſimæ, Miſſa cantata per Sacellanum Altaris, cum concione; & ſolent SS. CC. eſſe præſentes: & exponuntur ornamenta violacea communia.

Feriâ ſecundâ poſt prandium Completorium horâ conſuetâ.

Feriâ quartâ Miſſa cantata, cum concione; in quâ SS. CC. ſolent eſſe præſentes. Poſt prandium ad horam tertiam Completorium.

Feriâ ſextâ Miſſa cantata, cum concione, in quâ SS. CC. ſolent eſſe præſentes: & poſt prandium Completorium.

Dominicâ *Oculi*, quæ eſt tertia Quadrageſimæ, Miſſa cantata per Sacellanum Altaris, cum concione, in quâ SS. CC. ſolent eſſe præſentes.

Feriâ ſecundâ Feſtum S. Ioſeph Confeſſoris, in quo eſt Miſſa cantata per Sacellanum Oratorij, cum concione; quibus SS. CC. ſolent intereſſe. Poſt prandium Completorium. Et exponuntur ornamenta alba ordinaria.

Feriâ quartâ Miſſa cantata, cum concione, in quâ SS. CC. ſolent eſſe præſentes: & poſt prandium Completorium.

Feriâ ſextâ Miſſa cantata, cum concione, in quâ SS. CC. ſolent eſſe præſentes: & poſt prandium Completorium.

Dominicâ *Lætare*, quæ eſt quarta Quadrageſimæ, Miſſa cantata per Sacellanum Oratorij, cum concione, in quâ SS. CC. ſolent eſſe præſentes; ludunt enim tum organa ſub *Kyrie eleiſon* tantùm: & exponuntur ornamenta violacea pretioſiora.

Feriâ ſecundâ Feſtum Annuntiationis B. Mariæ: pridie Veſperæ; & ipſo die Miſſa ſolemnis per Sacellanum Oratorij, cum concione; in quibus SS. CC. ſolent eſſe præſentes: & exponuntur ornamenta alba ordinaria. Secundæ Veſperæ, propter prandium, quod poſt Officium Sereniſſima Infans dat nouem vetulis mulierculis, non cantantur: ſed poſt prandium cantatur Completorium.

Feriâ quartâ Miſſa cantata, cum concione, in quâ SS. CC. ſolent eſſe præſentes; & poſt prandium Completorium.

Feriâ ſextâ Miſſa ſimiliter cantata, cum concione, in quâ ſolent SS. CC. eſſe præſentes; & poſt prandium Completorium.

MENSIS APRILIS.

DOMINICA *Iudica*, ſiue *Paſſionis*, Miſſa cantata per Sacellanum Altaris, cum concione, in quâ SS. CC. ſolent eſſe præſentes. Exponuntur ornamenta violacea communia.

Feriâ ſecundâ Completorium poſt prandium.

Feriâ quartâ Miſſa cantata, cum concione, in quâ SS. CC. ſolent eſſe præſentes: & Completorium poſt prandium.

Feriâ ſextâ Miſſa cantata, cum concione, in quâ SS. CC. ſolent eſſe præſentes: & Completorium poſt prandium.

Dominicâ *Palmarum* inchoatur Officium ad horam nonam præciſè, & Benedictio & diſtributio ramorum fit per D. Nuntium

tium Apoſtolicum; & poſteà ſeruatur Proceſſio per magnam Aulam, quam SS. CC. comitantur; deinde cantatur Miſſa per Sacellanum Oratorij cum ornamentis violaceis melioribus.

Feriâ tertiâ Miſſa cantata per Sacellanum Oratorij; & eam audire ſolent SS. CC. ex loco inferiori, vicino Sacello.

Feriâ quartâ Miſſa ſimiliter cantata per Sacellanum Oratorij, quam etiam SS. CC. audire ſolent ex dicto loco.

Poſt prandium ad horam quartam inchoatur Officium Matutinarum per Dominum Nuntium Apoſtolicum, vel per alium Epiſcopum, ſi ſit aliquis ad manum, præmiſſo in ſimplici cantu Completorio: quod Officium, ſcilicet Matutinarum, SS. CC. audire ſolent ex dicto loco.

Ipſo Iouis Sancto inchoatur Officium per Dominum Nuntium Apoſtolicum, vel per alium Prælatum, ad horam octauam; & illud audire ſolent SS. CC. ex dicto loco. Et exponuntur ornamenta meliora alba. Poſt prandium eſt concio de *mandato* ad horam tertiam. Finitâ concione legitur altiori voce Completorium; quo finito inchoatur Officium Matutinarum per Dominum Nuntium Apoſtolicum, vel alium Prælatum; & illud audire ſolent SS. CC. ex dicto loco.

Ipſo Paraſceues Sancto manè ad horam ſeptimam prædicatur Paſſio Domini noſtri Ieſu Chriſti vſque ad horam nonam; eâ finitâ inchoatur Officium per Dominum Nuntium Apoſtolicum, vel per alium Prælatum, cum ornamentis nigris. Adoratur Crux, primò à Clero, deinde à Suis Celſitudinibus, & poſtremò à Magnatibus, & Aulicis, ordine hactenus obſeruato; & poſteà Proceſſio ſeruatur per Sacellum interius: & deinde continuatur Officium ad finem vſque. Poſt prandium, circa horam quintam, inchoantur Matutinæ, prout diebus præcedentibus; & audiunt eas SS. CC. ex dicto loco.

Ipſo Sabbato Sancto inchoatur manè Officium ad horam ſeptimam per Sacellanum Oratorij; & audiunt illud SS. Celſitudines ex dicto loco. Et Benedictio Cerei Paſchalis fit in cantu maximè ſolemni: & exponuntur ornamenta ordinaria coloris albi; & detegitur cum ſolemnitate per Magiſtrum Cæremoniarum Altare ſub Miſſæ *Gloria in excelſis*, quando etiam incipiunt ludere organa cum ipſo choro. Poſt prandium verò, ad horam tertiam, cantatur ſolemniter Completorium; & audire illud ſolent SS. CC. ex loco inferiori vicino Sacello.

Digitized by Google

Sacello: & manè exponuntur ornamenta alba communia.

Ipſo die Paſchatis accipiunt SS. CC. ſacram Communionem publicè in Sacello ſub Miſsâ priuatâ; quæ per alterum Confeſſarium, cuius ſunt vices, celebratur in Sacello circa horam nonam. Deinde ad horam decimam, vel circiter, cantatur Miſſa in Pontificalibus per D. Nuntium Apoſtolicum, vel per alium Epiſcopum. In eâ ſolent eſſe SS. CC. præſentes; exponunturque ornamenta meliora alba hac die, & duobus ſequentibus. Poſt prandium ad horam tertiam celebrantur Veſperæ per Sacellanum Oratorij; & in ijs SS. CC. ſolent eſſe præſentes.

Feriâ ſecundâ Paſchatis celebratur Miſſa per eumdem Sacellanum Oratorij, & habetur ſub eâ concio: & ſolent SS. CC. eſſe præſentes. Poſt prandium Veſperæ ad horam tertiam per alium Sacellanum Oratorij; ſed non ſolent ijs SS. CC. intereſſe.

Feriâ tertiâ Miſſa ſolemnis per Sacellanum Oratorij, in quâ SS. CC. ſolent eſſe præſentes. Poſt prandium celebrantur Veſperæ.

Dominicâ *in Albis* Miſſa ſolemnis per Sacellanum Oratorij, in quâ SS. CC. ſolent eſſe præſentes: & exponuntur in hac Dominicâ, & alijs ſequentibus vſque ad Vigiliam Pentecoſtes, ornamenta alba communia.

In Feſto Sancti Marci cantantur ſolemnes Litaniæ, & deinde Miſſa per Sacellanum Altaris; & ſolent SS. CC. eſſe præſentes: & exponuntur ornamenta violacea ordinaria.

Ipsâ Dominicâ *Miſericordia*, quæ eſt ſecunda poſt Paſcha, Miſſa cantata per Sacellanum Altaris, in quâ SS. CC. ſolent eſſe præſentes.

MENSIS MAIVS.

In Feſto Apoſtolorũ Philippi & Iacobi primæ Veſperæ per Sacellanũ Oratorij, & Miſſa per eumdem; quibus ſolent intereſſe SS. CC. Secundæ Veſperæ per Sacellanum Altaris: & exponuntur ornamenta communia rubea, quæ ſunt aurei Velleris.

In Feſto Inuentionis Sanctæ Crucis Miſſa ſolemnis per Sacellanum Oratorij; quam ſolent audire SS. CC. & ſub finem adorare Sanctam Crucem, quæ tum exponitur in Altari, cantante interim Choro Hymnum *Vexilla Regis prodeunt*; cum ornamentis rubeis ordinarijs aurei Velleris.

Ipsâ Dominicâ *Iubilate*, quæ eſt

eſt tertia poſt Paſcha, Miſſa cantata per Sacellanum Altaris, in quâ SS.CC.ſolent eſſe præſentes.

Dominicâ *Cantate*, quæ eſt quarta poſt Paſcha, ſimiliter.

Dominicâ *Vocem iucunditatis*, quæ eſt quinta poſt Paſcha, ſimiliter.

In Feſto Aſcenſionis Domini primæ Veſperæ per Sacellanum Oratorij, & Miſſa ſolemnis per eumdem, & ſub eâ concio; & in ijs ſolent SS. CC. eſſe præſentes. Secundæ Veſperæ per Sacellanum Altaris: & exponuntur ornamenta alba meliora.

In Dominicâ *Exaudi*, quæ eſt infra octauam Aſcenſionis, cantatur Miſſa per Sacellanum Altaris; & in eâ ſolent SS. CC. eſſe præſentes. Sed ſi SS. CC. eant ad domum Ciuicam, vt videant Dedicationem vrbis, celebratur circa horam nonam per Sacellanum Oratorij Hebdomadarium Miſſa priuata pro SS. CC. quam audiunt ex ſuis Tribunis, Sereniſſima Infans ex ſuperiori, & Sereniſſimus Archidux ex inferiori: ſub quâ Miſsâ ſtatim lecto *Credo* ludunt organa, & cantatur ante Eleuationem vnum Motetum, & poſt eam alterum. Et poſteà cantatur Miſſa more ſolito.

MENSIS IVNIVS.

IN Feſto Pentecoſtes primæ Veſperæ per Dominum Nuntium Apoſtolicum, vel per alium Epiſcopum, aut Prælatum: Miſſa ſimiliter per eumdem in Pontificalibus: & ſecundæ Veſperæ per Sacellanum Oratorij, quibus SS.CC. ſolent intereſſe: & exponuntur meliora ornamenta rubea hoc die, & duobus ſequentibus.

Feriâ ſecundâ Miſſa ſolemnis per Sacellanum Oratorij, & ſub eâ concio; in quâ SS. CC. ſolent eſſe præſentes. Poſt prandium Veſperæ per Sacellanum Oratorij, quibus non ſolent intereſſe SS. CC.

Feriâ tertiâ Miſſa ſolemnis per Sacellanum Oratorij, in quâ S S. C C. ſolent eſſe præſentes. Poſt prandium Veſperæ per Sacellanum Altaris.

In Dominicâ Sanctiſſimæ Trinitatis, quæ eſt prima poſt Pentecoſten, primæ Veſperæ per Sacellanum Oratorij, & ſimiliter Miſſa; quibus ſolent intereſſe SS. CC. Secundæ Veſperæ per Sacellanum Altaris: & exponuntur ornamenta alba meliora, ſimiliter & in ſequenti Feſto Corporis Chriſti.

In Feſto Corporis Chriſti primæ Veſperæ per D. Nuntium

Digitized by Google

Apoſtolicum in Pontificalibus; quibus SS. CC. ſolent intereſſe: Miſſa ſimiliter per eumdem; ſed eam audire ſolent in Eccleſiâ Sanctæ Gudulæ, & poſteà comitari Proceſſionem, in quâ omnes de Sacello comparere tenentur, ac canere, & ludere inſtrumentis ſucceſſiuis vicibus. Quo caſu non celebrantur ſecundæ Veſperæ; ſecùs autem ſi SS. CC. non egrediantur, ſed audiant Officium Miſſæ in ſuo Sacello.

Dominicâ infra octauam, quæ eſt ſecunda poſt Pentecoſten, cantatur Miſſa per Sacellanum Altaris, quam SS. CC. ſolent audire; eâ finitâ Proceſſio cum Venerabili Sacramento ex Eccleſia Frigidi montis facit circuitum per aream Palatij, & ſub eâ cantores omnes Sacelli, & Muſici, ad gradus Aulæ magnæ ipſius Palatij canunt muſicè vnum Motetum, cum Hymno, *Tantum ergo*; &, *Genitori Genitoq.*

In Feſto Natiuitatis Sancti Ioannis Baptiſtæ primæ Veſperæ & ſummum Sacrum per Sacellanum Oratorij; & in ijs ſolent SS. CC. eſſe præſentes. Secundæ Veſperæ per Sacellanum Altaris: & exponuntur ornamenta alba pretioſiora.

Dominicâ tertiâ poſt Pentecoſten cantatur Miſſa per Sacellanum Altaris, quam SS. CC. ſolent audire ſub cortinâ. In hac autem Dominicâ, & ſequentibus, vſque ad Dominicam primam Aduentus, exponuntur ornamenta meliora viridis coloris.

Ipſo die Feſto Apoſtolorum Petri & Pauli primæ Veſperæ per Sacellanum Oratorij, ſimiliter & Miſſa; quibus SS. CC. ſolent intereſſe. Secundæ Veſperæ per Sacellanum Altaris: & exponuntur ornamenta rubea ordinaria, autei nimirum Velleris.

MENSIS IVLIVS.

DOMINICA quartâ poſt Pentecoſten Miſſa cantatur per Sacellanum Altaris; & in eâ SS. CC. ſolent eſſe præſentes.

In Feſto Viſitationis Beatæ Mariæ primæ Veſperæ per Sacellanum Oratorij, ſimiliter & Miſſa; & ſolent SS. CC. eſſe præſentes. Secundæ Veſperæ per Sacellanum Altaris: & exponuntur ornamenta alba ordinaria.

Dominicâ quintâ poſt Pentecoſten Miſſa cantatur per Sacellanum Altaris; & in eâ SS. CC. ſolent eſſe præſentes.

Dominicâ ſextâ poſt Pentecoſten ſimiliter.

Circa vigeſimam ſecundam diem.

Digitized by Google

diem huius menſis ſeruatur ordinariè ſolemnis Proceſſio Venerabilis Sacramenti miraculoſi per magnum circuitum; & ſolent SS. CC. accedere Eccleſiam maiorem, & intereſſe ibi primis Veſperis & ſummo Sacro, & comitari Proceſſionem; ſub quâ cantores & muſici ſucceſſiuis vicibus canunt, & ludunt ſuis inſtrumentis.

In Feſto Mariæ Magdalenæ Miſſa cantatur per Sacellanum Altaris, in quâ SS.CC. ſolent eſſe præſentes: & exponuntur ornamenta alba ordinaria.

Dominicâ ſeptimâ poſt Pentecoſten cantatur Miſſa per Sacellanum Altaris, in quâ SS. CC. ſolent eſſe præſentes.

In Feſto Sancti Iacobi primæ Veſperæ per Sacellanum Oratorij, & ſimiliter ſummum Sacrum; quibus ſolent intereſſe Principes. Secundæ Veſperæ per Sacellanum Altaris: & exponuntur ornamenta rubea ordinaria aurei Velleris.

Dominicâ octauâ poſt Pentecoſten Miſſa cantatur per Sacellanum Altaris, in quâ ſolent SS. CC. eſſe præſentes.

MENSIS AVGVSTVS.

DOMINICA nonâ poſt Pentecoſten cantatur Miſſa per Sacellanum Altaris; & in eâ ſolent SS. CC. eſſe præſentes.

In Feſto Sancti Laurentij primæ Veſperæ per Sacellanum Oratorij, ſimiliter & ſummum Sacrum; in quibus Principes ſolent eſſe præſentes. Secundæ Veſperæ per Sacellanum Altaris: & exponuntur ornamenta rubea ordinaria.

Dominicâ decimâ poſt Pentecoſten Miſſa cantatur per Sacellanum Altaris, in quâ ſolent SS. CC. eſſe præſentes.

In die Sanctæ Claræ nihil fit extraordinariè, niſi quòd Sereniſſima Infans audit priuatam Miſſam in ſuo Oratorio, quæ celebratur per Sacellanum Oratorij; ſub quâ facit oblationem; & eâ finitâ celebratur Miſſa ordinaria ad horam conſuetam, quam ipſa audit ex loco ſuo ſuperiori ordinario, & Sereniſſimus Archidux in Sacello ſub cortinâ: & cantatur ante Eleuationem vnum Motetum, & poſt eam alterum.

In Feſto Aſſumptionis Beatæ Mariæ primæ Veſperæ per Sacellanum Oratorij, ſimiliter & ſummum Sacrum, ſub quo eſt concio; & ſolent in ijs Principes eſſe præſentes. Secundæ Veſperæ per Sacellanum Altaris: & exponuntur

nuntur ornamenta meliora albi coloris.

Dominicâ vndecimâ poſt Pentecoſten cantatur Miſſa per Sacellanum Altaris,in quâ SS. CC. ſolent eſſe præſentes.

In Feſto Diui Bartholomæi primæ Veſperæ per Sacellanum Oratorij, ſimiliter & ſummum Sacrum;in quibus SS.CC. ſolent eſſe præſentes. Secundæ Veſperæ per Sacellanum Altaris: & exponuntur ornamenta rubea communia aurei Velleris.

Dominicâ duodecimâ poſt Pentecoſten Miſſa cantatur per Sacellanũ Altaris,in quâ SS. CC. ſolent eſſe præſentes.

MENSIS SEPTEMBER.

DOMINICA decimâ tertiâ poſt Pentecoſten cantatur Miſſa per Sacellanum Altaris,& in eâ ſolent eſſe SS. CC. præſentes.

In Feſto Natiuitatis B. Mariæ primæ Veſperæ per Sacellanum Oratorij, ſimiliter & ſummum Sacrum; & ſolent in ijs SS. CC. eſſe præſentes. Secundæ Veſperæ per Sacellanum Altaris: & exponuntur ornamenta alba cõmunia.

Dominicâ decimâ quartâ poſt Pentecoſten cantatur Miſſa per Sacellanũ Altaris;& in eâ SS.CC. ſolent eſſe præſentes.

Dominicâ decimâ quintâ poſt Pentecoſten ſimiliter.

Dominicâ decimâ ſextâ poſt Pentecoſten ſimiliter.

In Feſto Sancti Matthæi primæ Veſperæ per Sacellanũ Oratorij, ſimiliter & Miſſa;quibus SS.CC. ſolent intereſſe. Secundæ Veſperæ per Sacellanum Altaris: & exponuntur ornamenta rubea communia aurei Velleris.

In Feſto Sancti Michaëlis Archangeli primæ Veſperæ per Sacellanum Altaris, ſummum Sacrum per eumdem;& in ijs ſolent SS. CC. eſſe præſentes. Secundæ Veſperæ ſimiliter per Sacellanum Altaris: & exponuntur ornamenta alba communia.

Dominicâ decimâ ſeptimâ poſt Pentecoſten cantatur Miſſa per Sacellanum Altaris; & in eâ SS. CC. ſolent eſſe præſentes.

MENSIS OCTOBER.

DOMINICA decimâ octauã poſt Pentecoſten Miſſa cantatur per Sacellanum Altaris; & ſolent in eâ SS. CC. eſſe præſentes.

Dominicâ decimâ nonâ ſimiliter.

Ipſo Feſto D. Lucæ primæ Veſperæ per Sacellanum Altaris, ſimiliter & Miſſa; & ſolent in ijs SS. CC.

Digitized by Google

SS. CC. eſſe præſentes. Secundæ Veſperæ ſimiliter per Sacellanum Altaris: & exponuntur ornamenta rubea communia.

Dominicâ vigeſimâ poſt Pentecoſten cantatur Miſſa per Sacellanum Altaris; & ſolent in eâ Principes eſſe præſentes.

Dominicâ vigeſimâ primâ poſt Pentecoſten ſimiliter.

In Feſto Simonis & Iudæ Apoſtolorum primæ Veſperæ per Sacellanum Oratorij, ſimiliter & Miſſa; & ſolent in ijs Principes eſſe præſentes. Secundæ Veſperæ per Sacellanum Altaris:exponunturque ornamenta rubea communia, aurei ſcilicet Velleris.

MENSIS NOVEMBER.

IN Feſto omnium Sanctorum primæ Veſperæ per Sacellanum Oratorij, ſimiliter & Miſſa; & ſolent ijs SS. CC. intereſſe. Secundæ Veſperæ ſimiliter per Sacellanum Oratorij; quibus finitis inchoatur per eumdèm Officium Defunctorum: & ſolent SS. CC. audire Officium Veſperarum, & deinde omnium Defunctorum ex loco inferiori vicino Sacello.

In Feſto omnium Sanctorum exponuntur ornamenta alba pretioſiora.

Ipſo verò omnium animarum Miſſa per Sacellanum Oratorij cantatur; & ſolent in eâ SS. CC. eſſe præſentes: & exponuntur ornamenta nigra.

Dominicâ vigeſimâ ſecundâ poſt Pentecoſten Miſſa cantatur per Sacellanum Altaris, in quâ ſolent eſſe præſentes Principes.

Dominicâ vigeſimâ tertiâ poſt Pentecoſten ſimiliter.

In Feſto Sancti Martini cantatur Miſſa per Sacellanum Altaris, in quâ SS. CC. ſolent eſſe præſentes: & exponuntur ornamenta alba communia.

Die decimâ tertiâ menſis Nouembris eſt natalitius dies Sereniſſimi Archiducis, in quo nihil ſpeciale fit, quàm quòd in ordinariâ Miſâ priuatâ ſtatim poſt lectum Euangelium cantatur vnum Motetum, & poſt Eleuationem aliud;ita vt omnes muſici & cantores debeant eſſe præſentes.

Feſtum Sancti Eugenij Epiſcopi Toletani & Martyris incidit in diem decimam quintam Nouembris, & primæ Veſperæ intonantur per Sacellanum Altaris, quas SS. CC. ſolent audire ex loco illo inferiori, vicino Sacello; & Miſſa ſolemnis per eumdem;ad quam audiendam ſolent SS. CC. venire ad Sacellum: & exponuntur ornamenta ordinaria rubea.

Digitized by Google

Dominicâ vigeſimâ quartâ poſt Pentecoſten cantatur Miſſa per Sacellanũ Altaris, in quâ SS. CC. ſolent eſſe præſentes.

In Feſto Præſentationis Mariæ Virginis primæ Veſperæ per Sacellanum Oratorij, ſimiliter & Miſſa; quibus SS. CC. ſolent intereſſe. Secundæ Veſperæ per Sacellanum Altaris: & exponuntur ornamenta alba communia.

In Feſto Diuæ Cæciliæ Miſſa ſolemnis ad horam nonam, in quâ Principes non ſolent eſſe præſentes. Sed ſub Miſsâ ordinariâ priuatâ ad horam vndecimam per totum Chorum cantatur poſt lectum Euangelium vnum Motetum, & alterũ poſt Eleuationem.

In Feſto Diuæ Catharinæ cantatur Miſſa per Sacellanum Altaris; & in eâ ſolent SS. CC. eſſe præſentes: & exponuntur ornamenta rubea communia.

Dominicâ vigeſimâ quintâ poſt Pentecoſten cantatur Miſſa per Sacellanum Altaris, & in eâ SS. CC. ſolent eſſe præſentes.

In Feſto Diui Andreæ Apoſtoli primæ Veſperæ per Sacellanum Oratorij, ſimiliter & ſummum Sacrum, cum concione; in quibus SS. CC. ſolent eſſe præſentes. Secundæ Veſperæ per Sacellanum Altaris: & exponuntur ornamenta rubea aurei Velleris. Et in hoc die à primis Veſperis, vſque ad ſecundas Veſperas incluſiuè, exponuntur inſignes Reliquiæ de Sancto Andreâ in ipſo Altari. Poſt ſecundas Veſperas inchoatur Officium Defunctorum per eumdem Sacellanum Altaris ſub vno Nocturno: & ſequenti die Miſſa ſolemnis de Requiem ad horam nonam pro animabus defunctorum Ordinis aurei Velleris; quibus SS. CC. non ſolent intereſſe, ſed reliqui Domini aurei Velleris.

MENSIS DECEMBER.

DOMINICA primâ Aduentus Miſſa ſolemnis quæ celebratur per Sacellanum Oratorij, & ſub eâ concio, in quâ Principes ſolent eſſe præſentes: & exponuntur ornamenta violacea communia.

In Feſto Sancti Nicolai cantatur Miſſa per Sacellanum Altaris, in quâ ſolent eſſe præſentes SS. CC. & exponuntur ornamenta alba communia.

In Feſto Conceptionis Beatæ Mariæ primæ Veſperæ per Sacellanum Oratorij, ſimiliter & Miſſa; quibus SS. CC. ſolent intereſſe. Secundæ Veſperæ per Sacellanum Altaris: & exponuntur ornamenta alba communia.

Dominicâ ſecundâ Aduentus

cantatur

cantatur Miſſa per Sacellanum Altaris, & ſub eâ eſt concio, in quâ SS. CC. ſolent eſſe præſentes: & exponuntur ornamenta violacea communia.

Dominicâ tertiâ ſimiliter; ſed exponuntur ornamenta violacea meliora.

Ipsâ Feriâ quartâ quatuor Temporum manè, ad horam ſeptimam præcisè, celebratur in templo Sanctæ Gudulæ Miſſa, quæ vocatur Aurea;& eam ſolent audire SS. CC. in ipſo Doxali Eccleſiæ, vbi illa celebratur.

Dominicâ quartâ Aduentus cantatur Miſſa per Sacellanum Altaris, & ſub eâ eſt concio; in quâ SS. CC. ſolent eſſe præſentes.

In Feſto Sancti Thomæ primæ Veſperæ per Sacellanum Oratorij, ſimiliter & Miſſa, cum concione; in quibus SS. CC. ſolent eſſe præſentes. Secundæ Veſperæ per Sacellanum Altaris: & exponuntur ornamenta aurei Velleris.

In Vigiliâ Natiuitatis Domini poſt prandium Veſperæ ſolemnes Pontificales per Dominum Nuntium Apoſtolicum, vel per alium Epiſcopum, vel Prælatum, qui ſit ad manum, alioquin per Sacellanum Oratorij; & ſolent in ijs SS. CC. eſſe præſentes. Et exponuntur ornamenta meliora alba. Veſperi ad horam octauam inchoatur Officium Matutinarum per Sacellanum Oratorij; & audiunt illud Principes ex illo loco inferiori vicino ipſi Sacello. Poſt hymnum ***Te Deum laudamus***, prima Miſſa in aurorâ celebratur per Eleëmoſynarium Maiorem; & deinde Officium Laudum per eumdem Sacellanum Oratorij.

Ipſo die Natiuitatis Domini ſolet Sereniſſima Infans audire in ſuo Oratorio duas Miſſas priuatas, quas quatuor annis continuis ſolet celebrare Eleëmoſynarius Maior; & ipſe Archidux in ſuo Oratorio tres Miſſas, quas ſolet celebrare vnus ex Sacellanis Oratorij. Et circa horam decimam ſolent SS. CC. audire ſimul in ipſo Sacello Miſſam ſolemnem, quæ celebratur Pontificaliter per Dominum Nuntium Apoſtolicum, ſi ſit ad manum; alioquin per Sacellanum Oratorij. Poſt prandium ſecundæ Veſperæ per Sacellanum Oratorij; & in ijs ſolent Principes eſſe præſentes.

In Feſto Sancti Stephani Miſſa ſolemnis per Sacellanum Oratorij, & ſub eâ concio de Natiuitate Domini; in quâ SS. CC. ſolent eſſe præſentes. Poſt prandium Veſperę ſolemnes per alium Sacellanum Oratorij, in quibus SS. CC.

Digitized by Google

SS. CC. ſolent eſſe præſentes: & exponuntur ornamenta pretioſiora rubei coloris.

In Feſto Sancti Ioannis Euangeliſtæ Miſſa ſolemnis per eumdem Sacellanum Oratorij, qui pridie celebrauit Veſperas; in quâ SS. CC. ſolent eſſe præſentes: & exponuntur ornamenta pretioſiora coloris albi. Poſt prandium Veſperæ per Sacellanum Altaris.

In Feſto Sanctorum Innocentium Miſſa ſolemnis per Sacellanum Altaris, in quâ SS. CC. ſolent eſſe præſentes. Poſt prandium non cantantur Veſperæ: & exponuntur ornamenta meliora rubea, ſi non incidat in diem Dominicam, quia tunc exponuntur meliora alba.

